



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

**Lourenço, Agostinho**

**Leodii, 1694**

Disputatio II. De Prædestinatione secundùm se.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

negando consequentiam; diversa ratio est, quia Trinitas Personarum requiritur in Deo ut perfectio Dei existentis, cum sit ipsius existentiae complementum, & in ordine ad fecunditatem *ad intra*, & non ut perfectio Dei operantis; siquidem si Deus non esset Trinus, esset tamen Omnipotens, adhuc perfectissimè operaretur, utpotè qui non ut Trinus, sed ut Unus Omnipotens producit, sunt enim actiones *ad extra* indivisæ: at verò Scientia Media requiritur, ut Deus perfectissimè operetur, utpotè quæ excludit omnem incertitudinem mediorum, & cæcitatem circa eventum effectûs futurum, sicque sine illa operaretur Deus modo imperfecto, ut diximus.

292. Argues 6. Si necessaria esset in Deo scientia media ad perfectè operandum, sequeretur, dum illa repræsentat Deum dantem auxilium ex scientiâ simplicis intelligentiæ, illum repræsentare ut imperfectè operantem; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo illum sic repræsentare præcivè, seu non cum omni perfectione, quam habet in operando, cum scientia media se ipsam non repræsentet: non tamen illum sic repræsentat imperfectè operantem negativè, sive cum negatione scientiæ mediæ, qui modus operandi est Deo impossibilis, utpotè imperfectus; sicque scientia media in actu exercitio Deum dirigit, ut modo perfectè operetur, licet non ita dirigit quasi in actu signato se ipsam attingens, & ut cognita concurrens ad providentiâ.

293. Argues 7. Ideò requireretur hujusmodi scientia media ex parte Dei, quia cum Deus velit dare auxilium efficax ut efficax, non potest illud velle prout sic dare, quin amet ejus efficaciam, hanc autem non potest amare, quin priùs illam cognoscat per talem scientiam; alioqui aliquid daretur volitum, quin præcognitum; sed ut det auxilium efficax non requiritur amor illius efficaciam; sic enim Deus dat auxilium permissivum peccati sine amore ipsius peccati ex illo secuturi, saltem per accidens; ergo ex illa ratione non sequitur necessariam esse in Deo scientiam mediâ. Respondeo negando minorem: nulla enim datur in Deo operatio *ad extra*, qualis est donatio auxilii efficacis, ut efficacis, sine Voluntate divinâ, cum debeat esse libera, & ab ipsâ voluntate fumat libertatem, ut autem sit libera debet præsupponere scientiam de tali auxilio dando, & de illius efficacitate, quam amat in illius donatione; licet non sic amet peccatum in volitione auxilii permissivi ipsius peccati; siquidem hoc solùm sequitur ex illo per accidens, & non per se, & necessariò, quatenùs Deus prævidens per scientiam conditionatam, Petrum v.g. peccaturum, voluit permittere illius peccatum ex malitia ipsius Petri secuturum.

## DISPUTATIO II.

### De Prædestinatione secundum se.

#### SECTIO I.

#### An detur, & quid sit in Deo Prædestinatio?

**D**IFFICULTAS I. An detur in Deo Prædestinatio? Affirmativè. Est de Fide. Ita omnes Doctores Catholici. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 8. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit.* Et 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et ad Ephes. 1. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus.* Et ex aliis quàm plurimis locis, in quibus asseritur nomina quorundam scripta esse in calis, in libro vitæ, aliquos esse à Deo electos, à Patre trahi, dari Filio, regnatos cum Deo, eis paratum esse regnum, mercedem, præmium, bravium, coronam, &c. Ex quibus satis colligitur aliquos esse ad gloriam destinatos, & à Deo ad gloriam prædestinari. Confirmatur ex *Trid. sess. 6. cap. 12. & can. 16.* quatenùs definit, neminem posse certò scire se esse de numero prædestinatorum absque revelatione; ergo &c.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. de bono persever. cap. 14. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et D. Prosper ad object. Gallor. cap. 1. *Prædestinationis autem fides multa sanctorum auctoritate Scripturarum munita est. Et sic ex aliis plurimis.*

Probatur tertio ratione, quia prædestinatio, ut infra dicemus, est ordinatio creaturæ rationalis ad visionem Dei ab ipso facta, neque enim fieri potest ab aliqua creatura, cum sit supra ejus vires; sed de fide est dari aliquas creaturas, nempe Angelos, & aliquos homines sic à Deo ordinatos ad illius visionem consequendam, imò jam de factò sunt illam consecuti, quod fieri non posset sine illa Dei ordinatione; alioqui Deus illam dando, casu & fortuitò operaretur; ergo &c.

Hinc inferes: Prædestinationem, sive prædestinare soli Deo convenire; nam cum prædestinatio sit ordo, & transmissio infallibilis in vitam æternam, soli Deo convenit; tum ob excellentiam finis; tum ob efficaciam, & infallibilitatem prædestinationis, quæ de se infinitam Dei sapientiam, & potentiam postulat.

Dices 1. Si daretur prædestinatio, cum hæc sit actus efficax Voluntatis divinæ, qui frustrari non potest, sequeretur tolli necessitatem orationis, & bonorum operum; siquidem semper prædestinatus salvandus est; sed hoc non est dicendum, cum sit contra illud 2. Petr. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis:*

ciatis; ergo &c. Respondeo negando sequelam: nam cum prædestinatio, licet sit infallibilis, sit transmissio creaturæ rationalis in beatitudinem per media proportionata, hæc autem sint bona opera, idè non potest dari sine illis.

6. Inferes: Ergo cum prædestinatus possit non efficere illa opera, poterit non salvari; consequenterque poterit prædestinatio divina frustrari. Respondeo negando illationem: licet enim prædestinatus physicè loquendo possit non efficere illa opera, & sic physicè loquendo non salvari; infallibiliter tamen salvabitur juxta prædestinationem Dei, quæ non potest frustrari, idè que infallibiliter benè operabitur; neque enim ex eo, quod physicè loquendo possit non salvari, sequitur posse decretum Dei frustrari, imò perfectè impleri, quatenus Deus vult ita salvari liberè, ut possit non salvari.
7. Dices 2. Si daretur prædestinatio, sequeretur prædestinatum non posse peccare juxta illud Joan. 3. 9. *Omnis natus ex Deo* (per prædestinationem, ait D. Bernardus) *non facit peccatum*; tollereturque libertas ad peccandum in prædestinato; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: talis enim locus intelligitur, aut duplicativè, ut exponit D. Thom. quatenus scilicet ex Deo natus semper gratiam nativitatibus custodit: aut de peccato finali in ordine ad prædestinationem æternam, quod nullus ex Deo natus committet; alioqui non salvaretur.
8. Dices 3. Si daretur prædestinatio, sequeretur, Deum plus diligere peccatorem prædestinatum, quàm reprobum justum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: plus enim Deus diligit reprobum justum, quàm prædestinatum peccatorem, pro tempore tamen justitiæ & peccati, licet pro tempore gratiæ & peccati finalis plus diligit prædestinatum decedentem in gratia, quàm reprobum decedentem in peccato.
9. Instabis: Amor Dei, cum sit ipsemet Deus, est in se invariabilis; ergo non potest Deus modò unum, modò alium plus diligere. Respondeo Amorem Dei esse quidem ipsum Deum, & idè invariabilem in se, hoc tamen non obstat quominus pro varietate objecti varietur, ita ut plus unum quàm aliud diligat pro diversitate statuum.
10. Dices 4. Aliqui ex Sanctis Patribus dixerunt non dari prædestinationem divinam; ergo non est de fide, quod detur; alioqui aliquid contra fidem affirmarent. Respondeo Sanctos Patres, (si aliqui ita dixerunt) nomine prædestinationis intellexisse prædeterminationem ad actus meritorios, quæ non est in Deo admittenda, ut non admisimus propter libertatem creatam, quam tolleret, prout diximus in Philosophia tom. 2. tract. 2. d. 5. sect. 4. 5. 6. & 7.
11. Quæres hinc: Utrum ratione naturali possit demonstrari in Deo esse prædestinationem? Negativè. Probat, quia prædestinatio versatur circa supernaturalem ordinem; sed nullus est effectus in natura, ex quo nobis innotescat, illum procedere à divina providentia supernaturali dirigente efficaciter creaturas rationales in vitam æternam; ergo naturali ratione non possumus demonstrare esse in Deo talem ordinem, sive prædestinationem.
12. Difficultas 2. Quid sit Prædestinatio ex vi nominis? Vocabulum prædestinatio, prædestinatus, prædestinare, vix est in usu apud profanos Scriptores Latinos, sola enim vox simplex *destinare* ab illis

frequentè usurpatur, idque in vario sensu: Primò *destinare* significat *emere*, ut dicit Plautus in Rudent. *Mimis triginta sibi puellam destinavit*. Secundò *alligare*, ut Apuleius lib. 4. de Asino aureo. *Arreptum me loro quàm valido ad ensulam quandam destinavit*. Tertiò pro eo, quod est *mittere*, ut lib. 1. Machab. cap. 1. *Destinaverunt aliquos de populo, & abierunt ad Regem*. Et Sueton. in vita Galbæ cap. 16. *Prætorianos, ait, cum mandatis ad Imperatorem destinavit*. Quartò pro eo, quod est *deliberare*, ut Sueton. in Cæsar. cap. 44. *In dies plura, aut majora de ampliando imperio destinabat*. Quintò pro *decernere*, seu *statuere*, hinc 2. Cor. 9. *Unusquisque prout destinavit in corde suo*. Et lib. 2. Machab. 6. *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*. Et Tullius de offic. *Cum eorum alteri Dionysius diem necis destinasset*. Sextò pro *deputare*, seu *designare* rem quampiam ad aliquem finem, in quibus duobus ultimis sensibus si verbo *destino* adjungas dictionem *præ* idem erit, ac *prædestino*, à quo sumitur *prædestinatio*, quæ etiam multipliciter sumi potest in præfenti. Igitur:

Prædestinatio ex vi nominis idem est, atque anticipata destinatio, seu præordinatio, prædestinatio, & prædeterminatio, quæ verba tam apud Scriptores Græcos Ecclesiasticos, quàm Latinos tribuuntur Deo, æternòque illius decreto; non solum personam aliquam ad aliquem finem efficaciter destinant, sed universim etiam rem aliquam in tempore faciendam decernenti.

Hinc prædestinatio quatuor modis sumi potest: Primò *latissimè* pro destinatione alicujus rei in ordine ad aliquem finem, in quo sensu locuti sunt Patres, quando dicunt, *essentias prædestinati ad existendum*; convenitque prout sic prædestinatio, tam rebus, quàm personis, & effectibus quibuscumque juxta illud D. Aug. lib. 2. de bono persever. cap. 17. *Nam in sua, ait, quæ falli, mutari, non potest prescientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare*. Secundò sumitur prædestinatio *minus latè* pro destinatione ad ultimum finem, sive hic sit vita, sive mors, in quo sensu dicunt Patres dari prædestinationem electorum ad vitam, & reproborum ad mortem juxta illud D. Anselm. opuscul. de concord. præscient. cap. 2. *Prædestinatio, ait, non solum bonorum est, sed malorum potest dici*. Et Aug. in Enchirid. cap. 100. *Tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad penam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gratiam*. Et lib. 13. de Civit. cap. 1. *Societatem malorum, ait, prædestinatam esse, æternum subire supplicium cum diabolo*.

Tertiò sumitur prædestinatio *presè* pro destinatione creaturæ rationalis ad quæcumque bona supernaturalia, qui sensus germanior est; siquidem in illo ordinatur homo ad illa consequenda, quæ viribus naturæ consequi non potest. In quo sensu loquitur D. Paulus 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quàm prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*.

Quartò sumitur prædestinatio *presè*, & accommodatè ad hunc locum pro destinatione efficaci electorum ad vitam æternam per media supernaturalia infallibiliter consequendam, in quo sensu loquitur D. Paulus ad Rom. 8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginibus filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Et loquitur Trid. sess. 6. cap. 12. *quatenus*

tenus dicit, nullum viatorum, seclusa revelatione, posse certo scire, se esse de numero prædestinatorum.

17. Difficultas 3. Quid particula *præ* verbo destino, seu destinatio adjuncta significet? Advertes huiusmodi particulam significare præcedentiam, sive antecedentiam, idque tripliciter: Primò antecedentiam durationis: secundò causalitatis: tertio dignitatis: An verò omnes has antecedentias significet particula *præ* in præsentem, est quæstio præsens: pro qua:

18. Dico 1. Particula *præ* significat antecedentiam durationis. Ita P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 5. P. Tamer. 1. p. q. 23. art. 1. q. 2. dub. 1. n. 4. P. Ruiz 1. p. d. 1. de prædest. sect. 1. n. 8. P. Herice 1. p. d. 21. cap. 1. n. 3. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 1. n. 5. cum Aensf. & Durand. in 1. dist. 40. q. 1. P. Præposit. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 1. n. 13. & alii. Probatur primò ex illo Math. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, id est ab æternitate. Et 1. Cor. 2. Loquimur Dei sapientiam, quam prædestinavit Deus ante secula. Et ad Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit; sed præscivit ab æterno; ergo & ab æterno prædestinavit.

19. Probatur secundò ratione, quia prædestinatio, ut infra dicemus, est actus immanens in Deo; sed Deus nullum actum immanentem habet, imò neque habere potest in tempore; alioqui, cum talis actus sit ipse Deus, illumque de novo in tempore haberet, Deus ipse mutaretur in tempore, quod non est dicendum; ergo &c.

20. Dico 2. Particula *præ* etiam significat antecedentiam causalitatis. Ita P. Herice cit. n. 6. P. Ruiz cit. n. 7. & alii. Probatur, quia omnis causa antecedit suos effectus ordine causalitatis; alioqui non essent ab illa; sed prædestinatio suos habet effectus, ut infra dicemus; ergo illos antecedit ordine, sive antecedentia causalitatis.

21. Dico 3. Particula *præ* non significat antecedentiam dignitatis, ut voluit Catherinus in opuscul. de prædest. cap. 1. & in epist. ad Rom. 8. quatenus tres hominum ordines constituit: Primum prædestinatorum, quos proprio nomine vocat prædestinatos, infallibili decreto electos secundum propositum, quia Deus illos potentius vocavit, copiosius justificavit, & splendidius magnificavit, horumque caput fuisse Christum Dominum; deinde Sanctissimam Deiparam Virginem MARIAM, atque Apostolos, ac ceteros eximie sanctitatis viros. Secundum ordinem, ait, esse salvandorum, qui sunt directi ad gloriam communi providentia cum reprobis, neque specialibus auxiliis vocati, neque electi ad gloriam efficaciter, nisi post prævisum bonum ulum. Tertium denique ordinem reproborum, sicque in hac Catherini sententia hoc nomen *Prædestinatio* non est commune omnibus, qui consequuntur vitam æternam, sed prædestinati comparatione salvandorum præcedunt, eosque præcellunt dignitate, tum in modo præeligendi; tum in gloria, ad quam præeliguntur.

22. Contra hanc Catherini sententiam præter Doctores supra citatos num. 18. insurgunt Thomistæ præsertim Sor. in Epist. ad Rom. cap. 9. Cordub. lib. 1. quæstionarii quæst. 56. P. Pererius in cap. 8. ad Rom. d. 25. & alii. Primò, quia his prædestinatis, & eximie electis admittit libertatem amittendi gloriam; siquidem de illis non potest dici Apoc. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat, &c. Et D. Paulus, cum in hac Catherini sententia foret eximie prædestinatus, frustra diceret: Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. Cor. 9. siquidem non

foret contingens reprobum effici. Secundò, quia cum alii etiam non ita eximie sanctitatis consequuntur gloriam, si non ita dicuntur prædestinati, poterit dici, aliquos non prædestinatos consequi beatitudinem; hoc autem nullus dicit; ergo &c.

23. Advertes tamen hanc Catherini sententiam posse cum limitatione admitti, ut eam admittit P. Vasq. supra cit. cum Camerar. Dialog. cathol. cap. 1. §. 2. & etiam non incongruam dicit P. Ruiz d. 1. de prædest. sect. 1. num. 6. si v. g. fiat comparatio inter prædestinatos, & reprobos, quibus prædestinatio negatur, certum enim est, prædestinatos comparatione reproborum esse dignitate excellentiores.

## SECTIO II

## Qualiter definiatur; &amp; sit in Deo Prædestinatio?

24. DIFFICULTAS 1. Qualis sit definitio prædestinationis? Varias prædestinationis definitiones apponunt Doctores, aliam enim assignat Ruardus de liber. arbitr. art. 7. cap. ult. propositio. ibi: Prædestinatio est efficax ordinatio, & directio electorum per media congrua ad salutem æternam. Aliam P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 9. Prædestinatio, ait, est providentia Dei, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur æternam. Aliam Venerabilis Beda tom. 8. in lib. quæst. q. 13. Prædestinatio, inquit, est divina gratia appositio. Aliam D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. Prædestinatio, ait, est ratio transmissionis creature rationalis in vitam æternam. Aliam Scot. in 1. dist. 40. q. 1. Prædestinatio, inquit, est electio creature intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam. Aliam P. Mol. 1. p. q. 23. d. 1. Prædestinatio, ait, est ratio ordinis, seu mediocrum in Deo, quibus prævidet creaturam rationalem perducendam in vitam æternam cum proposito eundem ordinem exequendi. Omnes prædictæ definitiones satis explicant prædestinationis essentiam, quia tamen aliam communiter assignant Scholastici cum D. August. illam sic apponimus.

25. Conclusio sit: Prædestinatio definitur: Præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ita D. Aug. lib. de bono persever. cap. 14. eam recipiunt D. Prosper. ad excerpta genuens. cap. 8. D. Fulgent. lib. 2. ad Monim. cap. 1. Magist. in 1. dist. 40. Alexand. 1. p. q. 28. memb. 1. Albert. 1. p. quæst. 63. memb. 1. & 2. & Scholastici communiter, licet aliqui aliam sic definitionem conficiant. Prædestinatio est æterna, & divina ordinatio creature rationalis in vitam æternam per media supernaturalia infallibiliter consequendam. Cum tamen in definitione D. August. proximè tradita apponatur nomen, sive particula illa *Præscientia* loco generis, sciendum opus est, in quoniam præscientia, & prædestinatio distinguantur; pro quo sit:

26. Difficultas 2. Qualiter præscientia à prædestinatione distinguatur? Præscientia, & prædestinatio distinguuntur in eo, quod illa latius pateat, quam ista, quatenus præscientia est ad bona, & ad mala; prædestinatio autem solum respiciat bona. Probatur primò ex D. Aug. lib. de prædest. Sancto. cap. 10. Prædestinatio, ait, sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia;

Præde =

Prædeterminatione quippe Deus ea præscit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est: *Fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quocumque peccata.* Secundo, ex Concilio Arausico. can. 25. Valentinian. 3. cap. 3. Trid. sess. 6. can. 17. ubi damnantur asserentes, Deum aliquos prædeterminare ad peccata; cum tamen Deus peccata præsciverit; alioqui aliquid daretur cognoscibile à Deo non cognitum, & Cognitionis divina non esset comprehensiva; ergo &c.

27. Probatur tertio ratione, quia præscire absolute solum dicitur notitiam, non autem approbationem, & causalitatem in cognoscente respectu objecti cogniti; sed prædeterminatio, cum sit scientia practica, & approbationis respectu termini prædeterminati, dicitur, & includit etiam approbationem, & causalitatem ejusdem in prædeterminante; has autem non habet Deus circa peccata, quæ licet præsciat, non tamen approbat, neque causat; ergo &c.
28. Difficultas 3. Utrum prædeterminatio ponat aliquid intrinsecum formaliter existens in prædeterminato? Negativè. Ita D. Thom. 1. p. q. 23. a. 2. Alex. 1. p. q. 28. memb. 3. a. 2. Albert. 1. p. q. 63. memb. 1. D. Bonav. in 1. dist. 40. a. 1. q. 1. ad argum. Richard. ibid. a. 1. q. 1. & 2. P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 2. num. 2. P. Arrub. 1. part. q. 23. a. 1. num. 1. P. Ruiz. d. 1. de prædest. sect. 5. num. 11. P. Præposit. 1. p. q. 23. a. 2. Probatur 1. ex D. Aug. in præfat. ad psal. 150. Prædeterminatio, inquit, nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in ejus presentia. Tria verò reliqua in nobis sunt, vocatio, justificatio, & glorificatio. Vocatur prædeterminatione penitentiæ, &c. Et simile habet lib. 13. confess. cap. 34. ergo &c.
29. Probatur secundo ratione, quia prædeterminatio ut infra dicemus, est actus intellectus, & voluntatis divinæ; sed hujusmodi actus nihil intrinsecum formaliter ponunt in persona, circa quam versantur, tanquam circa objectum cognitum, & amatum; ut patet in intellectu, & voluntate creata; ergo &c. Dixi intrinsecum, nam extrinsecè ponit denominationem prædeterminati; sicut enim objectum dicitur extrinsecè cognitum, & amatum à cognitione, & amore, sic etiam dicitur à prædeterminatione extrinsecè prædeterminatum. Dixi etiam formaliter, nam effectivè ponit in prædeterminato omnes effectus, quos in illo causet, nempe vocationem, & alia auxilia, illorumque finem, nempe gratiam, &c.
30. Objicies 1. Ex D. Aug. de bono persever. cap. 14. Prædeterminatio est præparatio beneficiorum Dei; sed præparatio est aliquid in præparato; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: est aliquid in præparato, si sit præparatio externa, & passiva; concedo minorem; sit sit interna, mentalis, & activa; nego minorem: hæc enim tota est in Deo præparante: illa autem, cum sit executio præparationis internæ, tota est in præparato, non tamen est prædeterminatio, sed illius executio. Patet in artifice prius decernente opus faciendum; prius enim dicitur præparans internè, & postea externè operatur.
31. Objicies 2. Prædeterminatio ponit in prædeterminato dignitatem prædeterminati, per quam distinguitur à non prædeterminato; sed hæc est ei aliquid intrinsecum; ergo &c. Resp. distinguendo minorem: est ei aliquid intrinsecum morale; concedo minorem: physicum; nego minorem: talis enim dignitas est quid morale, ut est dignitas prætoris in prætore à Rege illi data, & non physicum, de quo est questio.
32. Instabis: Dignitas baptizati, & Sacerdotis illos

distinguens à non baptizato, & non Sacerdote, ponit in illis aliquid physicum intrinsecè; ergo etià sic ponit dignitas prædeterminati in ipso prædeterminato. Respondeo negando consequentiam; diversificatio est, quia illi constituuntur tales per quasdam qualitates indelebiles, quas illa Sacramenta in eis produciunt; qualitas autem est quid physicum: at verò prædeterminatio nullam qualitatem producit in prædeterminato, sicque solum moraliter distinguitur à non prædeterminato.

Urgebis: Prædeterminatio est actus Dei efficax; sed hic distinguitur ab actu inefficaci ipsius Dei in eo, quod ille efficit mutationem physicam in objecto, & non ita efficitur hic; ergo &c. Respondeo negando minorem: solum enim efficit mutationem moralem, quam non efficit actus Dei inefficax, in quo satis distinguitur ab efficaci.

Inferes: Ergo sicut datur actus Dei efficax, qualis est prædeterminatio sine mutatione physica in prædeterminato, poterit etiam Deus sine mutatione physica in peccatore remittere peccatum mortale per solum condonationem extrinsecam. Respondeo hoc solum implicare de potentia Dei ordinaria, non autem absoluta, quamvis id neget P. Vasp. dicens non posse tolli maculam relictam à peccato, neque dignitatem ad penam sine retractione peccatoris, consequenterque sine illius mutatione physica: addit tamen posse à Deo remitti debitum pænæ per solum extrinsecam Dei condonationem sine ulla physica mutatione peccatoris; hoc autem admissio, jam datur actus Dei efficax, qualis est illa extrinsecam condonatio, quin detur mutatio physica in objecto.

Objicies 3. Posito actu Dei libero, nempe prædeterminatione, resultat in Deo denominatio realis de novo, nempe prædeterminantis; sed talis denominatio non provenit ex aliquo in Deo de novo recepto, alioqui mutaretur Deus; ergo ex aliquo de novo recepto in objecto, per quod tale objectum physicè mutatur. Respondeo talem denominationem provenire quidem ab aliquo recepto in objecto non physicè, sed moraliter, sicque in illo sola datur mutatio moralis, quam ipse actus Dei liber dicit in obliquo, quin in Deo detur aliqua mutatio; cum enim Deus à solis suis actibus liberis intrinsecis dicatur prædeterminare, & hi sint ab æterno, ut infra dicemus, nulla exinde arguitur mutatio in Deo, neque physica, neque moralis.

Inferes 1. Ergo posset Deus per actum efficacem relaxare votum sine ulla mutatione physica votantis. Respondeo id nullum esse inconveniens; neque enim votans efficit relaxationem, sed eam factam supponit à voluntate Dei, & potestate, à quâ illa tota dependet, sicque nulla in votante datur mutatio physica.

Inferes 2. Ergo si tunc votans ageret contra votum non peccaret; neque incurreret excommunicationem, aut reservationem, si forte illas haberet annexas. Respondeo negando illationem quoad primam partem; peccaret enim, quatenus ageret conscientia erroneâ, quæ à peccato non liberat; non tamen incurreret excommunicationem, aut reservationem, quia hæc solum incurruntur realitate facti, non autem per conscientiam erroneam.

Urgebis: Ex tali relaxatione resultaret negatio realis illius obligationis; sed hæc videtur arguere mutationem physicam; ergo &c. Respondeo negando minorem: solum enim est mutatio realis moraliter, & non physicè, qualis est ejus forma negata, nempe obligatio; siquidem talis est negatio

negatio, & talem arguit mutationem, qualis est ejus forma negata.

Difficultas 4. Utrum prædestinatio sit aliquid intrinsecum existens formaliter in solo Deo? Affirmativè. Ita Doctores supra citati. Probatur primò, quia prædestinatio debet esse in aliquo formaliter intrinsecè; sed non ita est in prædestinato, ut diximus; ergo in Deo prædestinante. Secundò, quia prædestinatio est actus Intellectus, & voluntatis divinæ; ergo debet esse in cognoscente, & volente per tales actus; sed hic est solus Deus; ergo in solo Deo existunt formaliter.

Dices: Prædestinatio, cum sit actus liber in Deo, solum addit respectum rationis, aut aliquid contingens; sed in Deo nihil datur contingens intrinsecum; alioqui mutaretur; ergo &c. Respondeo prædestinationem addere quidem in Deo aliquid contingens, non secundum rectum, sed secundum obliquum: cum enim sit actus liber in Deo, ut infra dicemus, hic in Deo dicitur in recto ipsum actum necessarium, & in obliquo objectum contingens; ac proximè secundum quod dicitur in recto est aliquid divinum, & necessarium; & aliquid contingens, aut rationis secundum quod dicitur in obliquo.

Difficultas 5. Utrum prædestinatio sit actus immanens in Deo; & ab æterno? Dico 1. Prædestinatio est actus immanens in Deo. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 2. n. 2. P. Ruiz 1. p. d. 1. de prædest. sect. 5. n. 11. P. Tanner. 1. p. q. 23. art. 1. dub. 1. n. 12. P. Proposit. 1. p. q. 23. art. 2. P. Herice 1. p. d. 22. cap. 1. n. 1. P. Arrub. 1. p. q. 23. art. 2. P. Arriaga 1. p. d. 33. num. 2. Probatur primò, quia prædestinatio secum defert præscientiam, & electionem; sed hæc sunt in Deo per modum actus ultimi vitalis immanentis, cum sint operationes potentie cognoscens, & appetentis; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio, ut infra dicemus, est aliquid liberum in Deo; sed nihil est in Deo liberum, nisi quod ei convenit per modum actus immanentis; siquidem omnia alia attributa ei necessariò conveniunt; ergo &c.

Dico 2. Prædestinatio est in Deo ab æterno. Ita Doctores proximè citati. Probatur primò ex Sacra Pagina 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.* Et Joan. 17. *Clarifica me tu, Pater, apud te ipsum claritate, quam habui priùs, quam mundus esset apud te.* Et ad Ephes. 1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut effemus Sancti:* ex quibus satis constat & Christi Domini, & nostram prædestinationem esse à Deo ab æterno factam; ergo &c.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Chrysost. 1. Cor. 2. Hom. 7. *Hoc Paulus in præsentia ostendere amittitur, quod scilicet semper nos dilexit à principio Deus, etiam non dum editos.* Et D. August. lib. de prædest. & grat. cap. 5. *Antequam faceret nos, præcivit nos, & in ipsa nos præscientia, cum non dum fecisset, elegit.* Et Epist. 57. ad Dardanum. *Quomodo ergo Dei filios, nisi secundum prædestinationem, secundum quam & Apostolus dicit, quod nos elegerit Deus in Christo ante constitutionem mundi?* D. Fulgent. lib. 1. ad Moanin. cap. 12. *In ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione jam fecit, quæcumque effectus operis sui tempore congruo faciendæ disposuit.* Et D. Ilidor. lib. 1. sentent. cap. 18. *Nobis igitur temporaliter accidunt, quæ conditori omnium sine tempore providentur.* Et D. Bern. serm. 78. in Cant. *Prædestinatio, non dico, ab exortu Ecclesie, sed ne à mundi principio quidem principium habet.*

Tom. 1.

buit; non denique à tempore illo, vel illo, ante tempus est. Sanè secundum prædestinationem nunquam Ecclesia electorum penes Deum non fuit. Idem habent Theodoret. Tertul. lib. 5. in Marcion. cap. 6. D. Paulin. ad Alipium Epist. 35. apud D. Aug. D. Ansel. ad Rom. 8. Concil. Valent. sub Leon. 4. cap. 3. & alii.

Probatur tertio ratione, quia prædestinatio, ut infra dicemus, est actus Dei intelligentis, & volentis; sed quidquid Deus intelligit, vult, & amat, ab æterno amat, vult, & intelligit; alioqui, si in tempore, daretur in Deo mutatio, cum aliquid de novo vellet, amaret, & intelligeret; ergo &c. Confirmatur, quia prædestinatio, ut diximus, est aliquid intrinsecum in Deo formaliter; sed nihil est in Deo intrinsecè, & formaliter, quod non sit ab æterno; alioqui Deus mutaretur; ergo &c.

Oppones 1. Non minus dicitur de solo Deo creare, quam prædestinare; sed creatio non dicitur de Deo ab æterno, cum sit in tempore; ergo idem dicendum de prædestinatione; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est; Primò, quia creatio, cum sit actio physica, requirit entitatem realem, & realiter existentem, in qua recipiatur, quæ entitas cum ab æterno non existat, ideo creatio non est in Deo ab æterno: at verò prædestinatio, cum sit entitas, & actus intentionalis, solam entitatem intentionalem, & objectivam requirit; cum autem hanc entitatem objectivam habuerint prædestinati ab æterno in mente divina, ideo ab æterno datur de illis in Deo prædestinatio. Secundò, quia creatio, cum non recipiatur in Deo, sed in termino creato, licet datur in tempore, nulla ex eo datur mutatio in Deo: at verò prædestinatio, cum sit aliquid in Deo intrinsecum, si daretur in tempore, aliquid in tempore daretur in Deo formaliter intrinsecum, quod stare non potest cum illius Immutabilitate.

Oppones 2. Prædestinatio est actus Intellectus divini cognoscens; sed Deus aliquid cognoscit in tempore quod ab æterno non cognovit; siquidem cognoscit rem existentem tibi realiter præsentem, quæ cum in tempore existat, in tempore illam ut sic cognoscit; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, licet res in tempore existat, adhuc Deum illam ab æterno cognoscere existentem pro illa differentia temporis, in quo exitura est, sine ulla mutatione intrinseca in Cognitione divina, licet datur ex parte objecti cogniti, ratione cujus datur in Deo quædam denominatio extrinseca cognoscens.

Instabis: Si Deus in tempore prædestinaret, daretur mutatio, non solum in prædestinato, sed etiam in Deo prædestinante; ergo etiam quando Deus in tempore cognoscit rem existentem ut sibi realiter præsentem, non solum dabitur mutatio ex parte objecti cogniti, sed etiam Dei cognoscens. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cum prædestinatio sit actus Deo intrinsecus, & in eo immanens formaliter, ut diximus, si daretur in tempore, Deus in tempore aliquid intrinsecum de novo reciperet, & sic intrinsecè mutaretur, quod implicat: at verò cum Cognitione divina sit ad omne cognoscibile, quoties datur aliquid de novo cognoscendum, potest ad illud extendi sine ulla mutatione intrinseca, & cum sola mutatione ex parte objecti.

Urgebis: Prædestinatio completur per obliquum; sed hoc est quid creatum; nihil autem creatum datur ab æterno; ergo neque ab æterno datur

A a

datur

datur in Deo prædestinatio. Respondeo tale obliquum, licet sit quid creatum, esse quid creatum intentionale, & objectivum in Mente Divina; non autem implicat aliquid intentionale, & objectivum ab æterno, licet sic implicet aliquid physicum.

49. Oppones 3. Prædestinatio non solum est præscientia, sed etiam præparatio beneficiorum Dei; ergo licet prout est præscientia sit ab æterno, saltem prout est præparatio, erit temporalis, ut potè quæ versatur circa rem existentem eam disponendo ad finem. Respondeo præparationem, ut supra diximus, duplicem esse, internam aliam existentem in actibus intellectus, & voluntatis artificis v. g. & aliam externam, ut quando artifex dolat ligna ad effigiem efformandam, & hæc ab illa proficitur ut à caula: Prædestinatio autem non est præparatio externa, quæ est effectus, & in tempore; sed interna, quæ est ab æterno; licet enim versetur circa media, quibus subjectum dirigitur in finem, non ita versatur circa illud ut actu existens, sed ut futurum ex æternitate.

50. Oppones 4. Prædestinatio, ut supra diximus, est pars providentiæ; sed hæc non est ab æterno; siquidem supponit existentem rem, cui providetur; nulla autem res existit ab æterno; ergo prædestinatio, saltem quâ parte spectat ad providentiam non erit ab æterno. Respondeo negando minorem, & ejus probationem prout diximus d. 1. à num. 83. Accedit, quod providentiæ, licet versetur circa media, quibus dirigit subjectum ad finem, illud tamen supponit ab æternitate futurum.

### SECTIO III.

*Virum Prædestinatio sit libera; & in quo formaliter consistat?*

51. **D**IFFICULTAS I. Utrum Prædestinatio in Deo sit libera; an necessaria? Dico I. Prædestinatio simpliciter, & absolute est Deo libera. Est de Fide.

Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 3. n. 3.

P. Ruiz d. 1. de prædest. sect. 4. num. 6. & alii. Probatur primò ex illo Joan. 3. Spiritus ubi vult spirat..... sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Et Joan. 5. Sicut Pater suscitavit mortuos, & vivificavit; ita & Filius quos vult, vivificat. Et Matt. 20. An non licet mihi, quod volo facere? Et Matt. 11. Cui voluerit Filius revelare. Et Marc. 3. Vocavit ad se, quos voluit ipse. Et ad Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ut, qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Et ad Rom. 9. An non habet potestatem sigulus lutæ ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Et Jacob. 4. Unus est Legislatores, & Judex, qui potest perdere, & liberare; sicque in aliis locis, quibus nominatur electio, propositum, aut consilium circa dilectos, his enim nominibus significatur indifferentia libertatis divinæ ad eos prædestinandos.

52. Probatur secundò rationibus: prima, quia prædestinatio est de objecto contingenti, cum sit de creatione, & ordinatione creaturarum rationalium in vitam æternam per media infallibilia consequendam, ad quod nihil datur Deum necessitans; sed quod ita in Deo est, liberum est; ergo &c. Secunda, quia prædestinatio est gratia; sed gratia excludit omnem necessitatem; alioqui esset & non esset gratia; ergo &c. Tertia, quia Deus potuit nullum prædestinare; aut plures prædestinare;

quos non prædestinavit; aut plures non prædestinare, quos prædestinavit; sed id stare non potest sine libertate in prædestinante, & contingentia in prædestinatione; ergo &c. Quarta, quia Providentiæ Dei est libera; ergo multò magis prædestinatio.

Oppones: Prædestinatio, ut diximus, est æterna in Deo; sed quod est æternum, est immutabile; ergo est necessarium; consequenterque prædestinatio est in Deo necessaria, & non libera. Respondeo ex eo, quod prædestinatio sit æterna, non sequi esse absolute, & simpliciter necessariam; nam ab æterno sunt in Deo Scientia, & Amor futurorum, & existentium; & tamen non sunt quid in Deo necessarium, sed liberum, & contingens, cum ita sint in Deo, ut possent non esse, si Deus se liberè non determinasset ad productionem creaturarum; sicque similiter de prædestinatione.

Hinc colliges primò, licet certissimum sit esse in Deo prædestinationem, incertum tamen nobis esse, hunc, aut illum esse prædestinatum; tum quia ita definitum est à Trid. sess. 6. cap. 12. & can. 15. & 16. tum etiam, quia cum prædestinatio pendeat ex libera Dei voluntate, nullus, excepta revelatione, potest certò scire hanc determinationem Voluntatis divinæ; hæc autem revelatio regulariter non fit, ne aut prædestinati negligentes fiant, aut reprobi desperent. Secundò, licet certò id scire non possimus, posse tamen probabiliter, & per conjecturas aliqualem de eo habere cognitionem, nempe per varia prædestinationis signa, de quibus infra.

Dico 2. Prædestinatio potest dici necessaria ex suppositione, quod aliqui consecuturi sunt Beatitudinem. Ita P. Soar. proxime num. 6. Probatur, quia in facta suppositione, cum Beatitudo sit quid supernaturale consequendum, non potest ita acquiri sine præscientia mediorum ad illam, & sine ordine, & præparatione talium mediorum; ergo necesse est, quod præcedat prædestinatio ita ordinans, & media præparans. Confirmatur, quia nulla res potest assequi suum finem, nisi per divinam Providentiam; sed prædestinatio nihil aliud est, quam divina Providentiæ ad finem supernaturalem consequendum, qualis est Beatitudo; ergo ut hæc acquiratur necessaria est, (saltem necessitate secundum quid) prædestinatio.

Dico 3. Prædestinatio fuit etiam in Deo necessaria necessitate congruentiæ. Ita P. Soar. cit. num. 7. P. Ruiz. cit. num. 8. & alii. Probatur primò, quia congruum fuit Bonitati divinæ, quatenus est bonum diffusivum sui, quod Deus crearet homines, illosque ordinaret ad finem supernaturalem; ergo etiam congruum fuit, quod aliquos prædestinaret ad talem finem, nempe ad gloriam postea in re consequendam. Secundò, quia aliter viderentur frustra creati, aut ad malum destinati; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Tertiò, quia aliter videretur Deus impotens ad eos salvandos; & velle amittere posse ab eis postea in Beatitudine perfectè glorificari; sed hæc non sunt dicenda; ergo necessitate congruentiæ debuit Deus aliquos prædestinare.

Objicies 1. Nullum est inconveniens, quod dentur plures Angelorum species, quarum nullus Angelus salvetur; ergo nullum erit inconveniens, quod detur species hominum, quin ex illa aliquis homo salvetur. Respondeo primò, antecedens solum esse verum in opinione D. Thomæ dicentis, omnes Angelos esse specie diversos, & prout sic idem est non prædestinare aliquem Angelum, ac non

non prædeterminare totam speciem: sicut tamen tunc potuit esse conveniens prædeterminare non omnes, sed aliquas Angelorum species: ita potuit esse conveniens prædeterminare non omnia, sed aliqua hominum individua, ex quo præfens doctrina confirmatur, ut consideranti patebit.

58. Respondeo secundò juxta aliam opinionem, quam tenuimus in Philosophia, dicentem, quamlibet Angelorum speciem habere plura individua, sicut fuit conveniens ex hominum specie aliqua illius individua prædeterminare; ita etiam fuisse conveniens ex qualibet Angelorum specie prædeterminare similiter aliqua individua, in quo Deus magis ostenderet suam Bonitatem, Sapientiam, & Potentiam.

59. Objicies 2. Si congruum esset Bonitati divinæ, quia diffusiva sui, aliquos homines, & Angelos salvari, cum esset major Dei Bonitas, salvari omnes, etiam esset magis congruum omnes prædeterminari; sed hoc non ita est; ergo neque illud. Respondeo negando majorem quoad ultimam partem; licet enim in eo magis videretur diffundi Bonitatem divinam in creaturas; congruum tamen erat, quod aliqua reproberentur: tum ut exerceretur Justitia divina: tum ut magis ostenderetur Misericordia erga electos: tum etiam ob alios superiores fines, quos Deus scit.

60. Objicies 3. Nullum fuit inconveniens, quod in statu innocentie nullus homo prædeterminaretur ad illum firmiter obtinendum; neque ad Beatitudinem ex illo consequendam; ergo etiam tale non erit, quod nullus homo in statu nature lapsæ prædeterminetur ad gloriam ex illo consequendam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia in illo statu species erat in duobus tantum individuis, & erat via brevissima, & facillima ad gloriam consequendam: at verò in statu nature lapsæ aliter se res habebat. Secundò, quia post illum primum statum, adhuc restabat alia via asperior, & fortasse utilior, in qua possent homines consequi beatitudinem, sicque conveniens fuit aliquos prædeterminare, & ordinare ad illam consequendam.

61. Difficultas 2. In quomodo formaliter consistat prædeterminatio? Variæ sunt in hac re sententiæ, prout supra diximus de Providentia d. 1. sect. 2. à num. 22. Alii enim dicunt prædeterminationem consistere formaliter in actu intellectus divini connotante actum voluntatis. Ita tenent D. Thom. 1. part. quest. 23. art. 1. & 2. & 3. & de Verit. q. 6. art. 1. Caiet. Alens. 1. p. q. 28. memb. 1. art. 2. Richard. in 1. dist. 40. art. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 41. q. 1. n. 9. Capreol. dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. P. Valent. hic. punct. 2. P. Tanner. 1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 2. n. 14. & alii. Alii tamen asserunt, prædeterminationem formaliter consistere in actu voluntatis. Ita affirmant D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Scot. q. 1. Ariminens. q. 3. art. 1. Aureol. dist. 40. quest. 1. art. 1. & alii, quos citat, & sequitur P. Vasq. 1. part. d. 87. cap. 3. favetque P. Soar. infra citandus.

62. Nihilominus tertia sententia nobis tenenda asserit, prædeterminationem consistere formaliter in utroque actu, & intellectus, & voluntatis. Ita ut probabilem tenet P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 12. tenent expressè P. Mol. P. Becan. P. Herice 1. p. d. 22. tract. 3. cap. 6. n. 50. P. Arrub. 1. p. q. 22. art. 1. d. 63. cap. 3. P. Arriaga 1. p. d. 33. sect. 2. n. 8. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. n. 1. & Recentiores communiter. Probatur primò ex illo ad Rom. 11. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præ-

servit: id est prædeterminavit, ut ait D. August. Et Actor. 2. loquente de Christo Domino: Hunc definitio consilio, & præscientia tradetur. Et ad Ephes. 1. Elegit nos, &c. Et infra: Qui prædeterminavit nos secundum propositum voluntatis sue; sed præscientia, & consilium spectant ad intellectum; electio autem, & propositum ad voluntatem; ergo &c.

63. Probatur secundò, quia prædeterminatio, ut constat ex illius definitione supra apposita, est ordinatio, præparatio, & executio mediorum ad finem; sed ordinatio est actus intellectus; præparatio autem, & executio sunt actus voluntatis; ergo &c. Tertio, quia prædeterminatio dicit formaliter adæquatè rationem ordinantem per media ad finem, & actum efficaciter applicantem talia media; sed illud pertinet ad intellectum, cujus est proprium ordinare; hoc autem ad voluntatem, cujus est proprium applicare, eligere, & exequi; ergo &c. Quarto, quia prædeterminatio est providentia efficax perfectissima in ordine ad gratiam, & gloriam consequendam; sed hæc dari nequit, quin simul formaliter, & intrinsicè includat consilium, & prudentiam, ut decretum sit prudens, & voluntatem applicantem, ut sit efficax; ergo &c.

64. Argues 1. Prædeterminatio expressus, & principalis dicit actum voluntatis, quam intellectus; siquidem sine illo non statim sequitur infallibiliter consecutio gloriæ; potest enim Deus scire media, & illa non applicare, eoque dato, non acquiratur gloria, nec dabitur prædeterminatio, ut fit in reprobis; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædeterminatio. Respondeo negando consequentiam; licet enim prædeterminatio expressus, & principalis dicat actum voluntatis, non ideo sequitur in illo tantum consistere; sic enim homo expressus, & principalis dicit rationale, quam animal; & tamen utrumque est de essentia hominis.

65. Argues 2. Prædeterminatio est nomen simplex; sed hoc imponitur ad simplices res significandas, quales non sunt actus intellectus, & voluntatis divinæ simul sumpti; ergo prædeterminatio non dicit, neque includit utrumque actum simul. Respondeo prædeterminationem esse nomen simplex in voce, non autem in significatione, de quo tantum dicitur imponi ad significandas res simplices, non ita verò de nomine, quod solum est simplex in voce, ut est nomen Prædeterminatio, significat enim complexè, quatenus significat duos illos actus, licet per modum unius, ratione unius finis, quem intendunt. Patet in his nominibus Providentia, Beatitudo, & Signum, quæ licet sint simplicia in voce, significant tamen duplicem actum, & respectum.

66. Argues 3. Illa est ratio formalis constitutiva alicujus rei, qua posita, aut sublatà, ponitur, aut tollitur talis res; sed posita, aut sublatà hac numero voluntate divinà de glorificatione Sanctorum, & alio quocumque sublatò, nempe actu intellectus, ponitur, aut tollitur prædeterminatio; ergo hæc solo actu voluntatis formaliter constituitur. Respondeo distinguendo majorem: ponitur, aut tollitur talis res, vel adæquatè, vel inadæquatè; concedo majorem: semper adæquatè; nego majorem: posita, autem, aut sublatà tali voluntate, ponitur, aut tollitur prædeterminatio inadæquatè, quia solum inadæquatè constituitur tali actu; adæquatè enim utroque & intellectus, & voluntatis; nam cum sit perfectissima, talis non esset sine actu intellectus cognoscente media efficaciam ad finem consequendum; alioqui imprudenter, sine consilio,

& cæco modo operaretur; & cum sit efficax, talis non esset sine actu voluntatis applicante, & exequente.

67. Instabis: Sublato actu voluntatis, tollitur adæquatè prædestinatio; ergo hæc adæquatè constituitur solo actu voluntatis. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: solum enim probat argumentum, actum voluntatis esse etiam de essentia prædestinationis, quatenus sublato, tollitur prædestinatio, cum nulla res possit sine eo, quod est sibi essentiale, persistere: non autem probat esse illius essentiam adæquatam, licet illo sublato, adæquatè tollatur prædestinatio; siquidem minus requiritur ad destructionem adæquatam, quam ad adæquatam rei constitutionem: nam destructa sola unione compositi, destruitur compositum adæquatè, cum jam non detur compositum; posita autem sola unione, non datur compositum adæquatè.

68. Argues 4. Electi per prædestinationem distinguuntur à reprobis; sed distinguuntur per solam voluntatem Dei efficacem; siquidem Deus æquè habet ad electos, & ad reprobos Scientiam mediocriorem efficaciam; ergo prædestinatio in solo actu voluntatis consistit. Respondeo argumentum ad plurimum probare, voluntatem applicantem efficaciter media esse quasi rationem differentialem, ut est rationale respectu hominis; non tamen esse adæquatam essentiam prædestinationis, ad quam etiam requiritur actus Intellectus, sicut ad essentiam adæquatam hominis præter rationale requiritur etiam animal, quod hominem essentialiter etiam constituit.

69. Argues 5. Prædestinatio dicit formaliter præordinationem efficacem ad Beatitudinem; sed talis præordinatio efficax est solus actus voluntatis; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædestinatio. Respondeo negando minorè: talis enim præordinatio efficax, aut sumitur directivè præscribendo ordinem, & est actus Intellectus; aut executivè ipsam ordinem præscriptum exequendo, & est actus voluntatis; uterque autem prædestinatio formaliter.

70. Argues 6. Reprobatio formaliter solum dicit actum voluntatis; cum sit exclusio à regno, & destinatio ad penam propter prævisa demerita; ergo etiam prædestinatio formaliter solum dicit actum voluntatis. Respondeo negando antecedens: reprobatio enim præter actum voluntatis permittentis peccatum, & damnantis peccatorem, includit etiam actum Intellectus proponentem media, & dictantem peccatorem damnandum; alioqui cæco modo operaretur Deus, quod non est dicendum.

71. Instabis: Tale iudicium dictans peccatorem esse damnandum implicat in Deo, cum sit contra eius Bonitatem dicentem, nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat; ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem: neque enim id est contra Bonitatem divinam; siquidem Deus non vult mortem peccati, sed permittit, & postea præbet supplicium, quod non est mors, sed mortis, id est peccati pena.

72. Argues 7. Prædestinatio, ut diximus, est formaliter libera; sed solus actus voluntatis est formaliter liber; ergo in solo actu voluntatis consistit prædestinatio formaliter. Respondeo prædestinationem esse quidem formaliter liberam, sumptam tamen inadæquatè pro actu voluntatis, in quo sensu supra locuti sumus; non autem si sumatur

adæquatè etiam pro actu Intellectus; licet etiam prout sic possit dici libera, non formaliter, sed aut radicaliter, aut quatenus à voluntate approbatur, & acceptatur.

Argues 8. Prædestinatio idem est, atque liber vita; sed hic est ipsa præsentia Dei de electis, præsentia autem est actus Intellectus; ergo in solo actu Intellectus consistit formaliter prædestinatio. Respondeo majorem esse veram de prædestinatione inadæquatè sumpta pro solo actu Intellectus: non sumpta adæquatè; sic enim includit etiam actum voluntatis; cum sit præordinatio efficax salvandorum per media efficaciam ad vitam æternam; hæc autem formaliter includit, & actum Intellectus præordinantem, & actum voluntatis exequentem: at verò liber vitæ est sola præsentia Dei habita de salvandis, ideoque in solo actu Intellectus salvatur. Hinc etiam prædestinatio distinguitur à prudentia, cum hæc sit actus Intellectus non exprimens felicitudinem circa agenda, quam exprimit prædestinatio, & providentia, ideoque utrumque actum, & Intellectus, & voluntatis includunt formaliter.

Argues 9. Prædestinati tenemur Deo gratias agere pro prædestinatione; sed non tenemur gratias agere pro actu Intellectus, five scientiæ mediocriorem ad finem, cum hæc sit etiam reprobis communis, sed pro solo actu voluntatis, quo liberè nos elegit efficaciter ad gloriam consequendam; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædestinatio. Respondeo distinguendo majorem: tenemur Deo gratias agere pro prædestinatione inadæquatè; concedo majorem: adæquatè; nego majorem: cum enim solus actus voluntatis sit formaliter liber, pro solo illo tenemur Deo gratias agere, cum liberè nos elegerit, & potuerit non eligere: non autem pro actu Intellectus, five scientiæ, cum hæc sit etiam reprobis communis. Accedit, quod si etiam pro hujusmodi scientia tenemur Deo gratias agere, non est prout absolute sumitur; sic enim est communis etiam reprobis, sed prout conservatur ab electione, & cum illa conjungitur, ac redditur efficax; sic enim solis convenit prædestinatis.

#### SECTIO IV.

*Qualisnam sit actus, quo ex parte Intellectus constituitur prædestinatio formaliter?*

**D**ico 1. Prædestinatio ex parte Intellectus constituitur formaliter per quoddam iudicium practicum absolutum dictans convenire eligere hunc ad talem gloriam per talia media consequendam. Ita P. Tanner. 1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 2. num. 10. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 16. num. 17. & alii supra cit. d. 1. num. 41. Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. II. Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, ut finis in laudem gloriæ ejus. Ubi ad explicandam prædestinationem ex parte Intellectus utitur nomine Consilium, non autem nomine imperii. Secundò, quia prædestinatio, prout est actus Intellectus divini, est actus efficax efficaciter perducens hominem ad Beatitudinem; sed hujusmodi actus involvit rationem iudicii practici de effectu secuturo; ergo &c.

Dico 2.

76. Dico 2. Hoc iudicium, licet sit formaliter simplex, est tamen virtute multiplex. Probatur, quia actus intellectus debet inservire voluntati prædestinanti eam dirigendo; sed hæc, cum sit perfecta transmissio interna, respicit simul intrinsecè, & finem, & media; ergo hoc iudicium debet eam dirigere & ad finem, quatenus intentio, & ad media, quatenus electio; ac proinde tale iudicium, prout inservit intentioni finis, & electioni mediorum, est multiplex virtute, licet sit formaliter simplex.

77. Oppones: Hoc iudicium solum est practicum respectu convenientiæ mediorum eligendorum, non autem respectu convenientiæ electionis eorum; ergo &c. Respondeo negando antecedens: Voluntas enim ex vi illius, non solum amat media, sed etiam ea eligit; nam cum tale iudicium sit divinum, idèdque perfectissimum, debet practicare media & in ordine ad amorem, & in ordine ad electionem; sicque non solum inservit amori mediorum, sed etiam eorum electioni.

78. Dico 3. Hoc iudicium non est per modum artis, sed prudentiæ in Deo. Probatur primò, quia tale iudicium, cum sit divinum, debet esse perfectissimum; sed non ita esset, si foret per modum artis; siquidem iudicium per modum artis ex Aristotele versatur practicè circa objectum còmune; confusè verò, & indeterminatè circa singularia; tale autem iudicium est imperfectissimū; ergo tale non est in Deo illud iudicium, sed per modum prudentiæ, utpotè quæ practicè versatur circa singularia hæc, & nunc determinatè faciendâ. Secundò, quia decretum divinum de salute electorum fuit determinatum, & definitum circa omnes personas in particulari, & non confusum, & indeterminatum; sed non esset ita determinatum, si non præcederet actus intellectus sic determinatè proponens, qualis est actus prudentiæ, & non artis; ergo &c.

79. Objicies 1. Hoc iudicium datum fuit ante prævisâ merita in esse absoluto; ergo non potest dicere, convenire potius hunc, quàm illum in particulari eligere, cum nihil determinatè, sed confusè representet ex parte objecti. Respondeo, licet intellectus nihil proponat in particulari ex parte objecti, ex quo Voluntas divina moveatur ad hunc potius, quàm illum eligendum; aliquam tamen rationem in particulari proponere ex parte ipsius Dei, sine quâ non operatur, neque moveri potest, cum sit cæca, quin ab intellectu proponatur; sicque hæc ab intellectu proponitur, ut operetur, & hunc potius, quàm illum determinatè eligat.

80. Objicies 2. Voluntas divina potest, cum sit libera, se ipsam determinare ad eligendum potius hunc, quàm illum; ergo non eget illo iudicio proponente. Respondeo negando antecedens: aut enim se determinaret, nullo iudicio præcedente, & hoc non; nihil enim volitum, quin præcognitum: aut præcedente iudicio confusè, & indeterminatè proponente, & hoc etiam non, nam cum voluntas sit cæca, solumque tendat in id, quod proponitur, & eo modo, quo proponitur, solum confusè, & indeterminatè eligeret hunc, aut illum, quod est imperfectio: aut præcedente iudicio determinatè, & in particulari proponente, & hoc dicimus esse iudicium illud per modum prudentiæ.

81. Dico 4. Hoc iudicium pertinet ad Scientiam simplicis intelligentiæ. Probatur, quia cum sit actus scientiæ, sive præscientiæ Dei, debet ad aliquam illius scientiam spectare; sed non spectat ad scientiam visionis; hæc enim solum tendit in rem existentem, aut aliquo modo futurâ; & non ita ten-

dit illud iudicium, sed ad rem ante decretum efficacem, cum ad illud dirigat voluntatem, & ante decretum efficacem nihil est futurum: non ad scientiam mediantem quia dirigit voluntatem ad operandum & non ita dirigit scientia media: tum etiam quia scientia media non proponit convenientiam intentionis, & electionis, sed tantum ostendit, quid sit futurum; si res in tali, aut tali circumstantia, vel occasione ponatur; ergo pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, cum non detur altera.

82. Oppones 1. Prædestinatio est ordinatio in vitam æternâ per media efficaciam, ut efficaciam; sed hoc videtur proprium scientiæ mediæ; siquidem per hanc tantum cognoscuntur media efficaciam, ut efficaciam; ergo &c. Respondeo ex argumento solum probari, prædestinationem secum deferre Scientiam Mediam, ut infra dicemus, non tamen illam includere essentialiter; sic enim essentialiter solum includit illam scientiam, quæ dirigit, & ordinat voluntatem ad eligenda ipsa media efficaciam, quod efficit sola Scientia Simplicis Intelligentiæ, & non Scientia Media, quæ solum proponit media illa, quæ erunt efficaciam in tali, aut tali occasione.

83. Oppones 2. Prædestinatio est quasi species Providentiæ, ut supra diximus; sed hæc includit essentialiter Scientiam Mediam, quæ providentur media accommodata ad finem assequendum; ergo etiam sic illam includet prædestinatio. Respondeo negando minorem: Providentiæ enim solum includit essentialiter iudicium practicum absolutum dictans, intendendum esse finem per media accommodata, ut supra diximus, licet tam providentiæ, quàm prædestinatio requirant Scientiam Mediam.

84. Oppones 3. Prædestinatio distinguit electos à reprobis; sed non ita illos distinguit Scientia Simplicis Intelligentiæ; cum hæc sit communis etiam reprobis; ergo Prædestinatio non constituitur essentialiter per actum simplicis intelligentiæ. Respondeo negando minorem: licet enim non ita illos distinguat Scientia simplicis intelligentiæ absolute sumptæ; maximè prout conjungitur cum decreto efficaci in electis; sic enim est diversa à se, prout conjungitur cum decreto inefficaci in reprobis; sicut materia prima prout conjungitur cum forma hominis, est diversa à se, prout conjungitur cum forma equi in equo.

85. Instabis: Prædestinatio, & reprobatio solum distinguuntur per decreta efficaciam, & inefficaciam; non autem per Scientiam simplicis intelligentiæ; ergo idem dicendum de prædestinatis & reprobis. Respondeo negando antecedens: nam etiam distinguuntur per Scientiam simplicis intelligentiæ: hæc enim quatenus connotat decretum efficaciam, dicitur etiâ efficaciam extrinsecè; & quatenus connotat decretum inefficaciam, dicitur extrinsecè inefficaciam; & prout sic distinguuntur saltem logicè, etiam per hanc scientiam.

86. Oppones 4. Prædestinatio est de re futura; sed sola Scientia Visionis est de objecto futuro; nam Scientia simplicis intelligentiæ solum attingit possibilis; ergo iudicium constituens prædestinationem, non ad hanc, sed ad illam scientiam spectat. Respondeo negando majorem; neque enim prædestinatio est de re futura, nisi ad plurimum remotè, quatenus illud iudicium dirigit voluntatem ad eligendum decretum, per quod, cum sit efficaciam, res fiet proximè futura; ac proinde non est iudicium de re jam futura, sed de re, quæ erit infallibiliter futura.

87. Dico 5. Iudicium hoc constituens prædestinationem ex parte intellectus, non est per modum

imperii dicentis *Fac hoc*, sed per modum proponentis, & practicanis convenientiam objecti. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 16. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 2. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 81. num. 9. & d. 87. num. 13. P. Compton. rom. 1. d. 39. sect. 2. num. 5. & alii supra citati d. 1. num. 41. ante probationem tamen: Advertes hujusmodi actum per modum imperii tripliciter explicari posse: Primò, ita ut talis actus non sit aliquod iudicium, nec cognitio intellectus, sed insinuatio quadam, seu intimatio facta, aut voluntati, aut potentia executiva de eligendis, aut exequendis mediis, quibus electi infallibiliter assequantur finem. Secundò, ita ut sit iudicium aliquod intellectus, antecedens tamen electionem mediorum, quo unum, aut plura media determinata statuuntur, quibus homo possit in Beatitudinem perducere, & ita voluntati intimantur, ut ad hæc, & non alia eligenda prædeterminetur. Tertio, ita ut sit iudicium, seu quicumque alius actus intellectus, subsequens tamen non solum dilectionem, & electionem ad gloriam, sed etiam electionem mediorum, quorum executionem, mediante alio actu voluntatis, qui dicitur usus, potentia executiva imperat. Hoc posito.*

88. Probatur hujusmodi iudicium non esse per modum imperii in primo sensu: Primò, quia nullus possibilis est actus potentia cognoscitiva, qualis est Intellectus divinus, qui non sit cognitio; sicut nullus est possibilis actus potentia volitiva, appetitiva, & visiva, qui non sit volitio, appetitio, & visio. Secundò, quia nulla datur necessitas, aut ratio admittendi hujusmodi actum; ergo &c.

89. Probatur, non esse per modum imperii in secundo sensu; quia aut ille actus imperii prædeterminans voluntatem ad electionem est liberè voluntarius; aut non: Non primum: tum quia jam non potest dici, antecedere electionem, cum ex libera potius electione procedat; siquidem non potest dici voluntarius, nisi per actum, quo voluntas voluerit sibi ab intellectu efficaciter intimari unum, aut plura media certa & determinata; hæc autem voluntas, aut est, aut supponit electionem mediorum: tum etiam, quia si est voluntarius voluntate antecedente, tunc ad illum præquiretur alius actus imperii, & ad hunc alius, sicque in infinitum: Si secundum; ergo tollitur libertas electionis subsequens, ad quam voluntas antecedenter, & intrinsecè prædeterminatur; ergo &c.

90. Probatur, non esse per modum imperii in tertio sensu; quia prædestinatio, ut diximus, consistit in ordinatione efficaci ad finem per certa media in re consequendum; sed hujusmodi actus imperii prout sic subsequitur hanc ordinationem efficacem, & efficacem electionem mediorum; ergo subsequitur prædestinationem; consequenterque hæc ex parte intellectus non constituitur per talem actum, qui sit per modum imperii. Confirmatur conclusio ex supra dictis de Providentia d. 1. num. 41.

91. Dices: Prædestinatio est pars prudentia; sed hæc ex Aristotele est præceptiva; præcipere autem idem est, atque imperare; ergo &c. Respondeo non omnem prudentiam esse præceptivam, nisi sit humana, de qua locutus est Philosophus, non autem de divina. Accedit etiam dato, quod aliqua pars Prudentia divina sit præceptiva, esse minus propriè, quatenus elicit aliquod iudicium practicum, in quo sensu etiam Prædestinatio potest dici præceptiva, imò & imperium, sed impropiè.

## SECTIO V.

## Qualisnam sit actus constituens Prædestinationem ex parte voluntatis formaliter?

**C**ONCLUSIO sit: Actus constituens formaliter prædestinationem ex parte voluntatis componitur ex intentione finis, & electione mediorum. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 15. & cap. 5. num. 15. P. Ruij. d. 4. de prædest. sect. 2. & 3. & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. ibi. Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Ubi Apostolus prædestinationem prius positam, postea explicat simul per electionem mediorum, & intentionem finis. Et ad Rom. 9. Ut ostenderet divitias gratia sue in vasa misericordiae, que præparavit in gloriam: Præparavit autem per electionem mediorum ex intentione finis. Et Joan. 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: ubi de gratia agitur ut de medio, & ut de fine intento, nempe de gloria juxta illud ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna; ergo &c.*

Probatur secundò ratione, quia prædestinatio, ut patet ex supra dictis, est perfectissima transmissio; sed hæc non respicit tantum ultimum terminum, neque solam viam, sed & terminum per viam, & viam in ordine ad terminum; ergo &c. Confirmatur primò, quia prædestinatio ad gratiam est propter gloriam, & ad gloriam propter gratiam; sed ex Philosopho quando unum est propter aliud, unum tantum ibi datur; ergo prædestinatio ad gratiam est una complectens utrumque terminum, & gloriam, & gratiam, unam proximè, & aliam remotè, eo modo, quo unus motus respicit non solum ultimum terminum, sed etiam intermedios. Secundò, quia prædestinatio, ut constat ex ejus definitione supra posita, est ordinatio in vitam æternam per media convenientia; sed hujusmodi ordinatio includit simul electionem mediorum, & intentionem finis; ergo &c. Tertio, quia non consistit in sola intentione finis, non in sola electione mediorum; ergo in utraque simul. Quarto, quia sicut reprobatio se habet ad pœnam, ita proportione habitâ, se habet prædestinatio ad gloriam; sed reprobatio est ad pœnam propter demerita; ergo prædestinatio est ad gloriam propter merita, sive per merita; consequenterque includit, & electionem mediorum, & intentionem finis.

Argues 1. pro solâ intentione efficaci dandi gloriam: Sacra Scriptura, & Sancti Patres pluribus in locis solius vitæ, & gloriæ faciunt mentionem, ut patet ex illo Actor. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Et *D. August. lib. de corrupt. & grat. cap. 7. Illos elegit ad obtinendum regnum suum: & sæpè alibi. Idem habent D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 13. D. Prosper. Origen. D. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 8. & alii; ergo prædestinatio in sola intentione efficaci dandi gloriam consistit formaliter. Respondeo Sacram Scripturam, & Sanctos Patres ibi solum loqui de prædestinatione inadæquatâ, principaliori, & principalius intentâ ex parte voluntatis, qualis est gloria, quæ propter se, electio autem mediorum propter illam intenditur. Accedit, quod qui unam assignat*

assignat, aliam non excludit, præsertim quando de illa aliis in locis fit mentio.

95. Argues 2. Per illud res formaliter constituitur, quo posito, intelligitur talis res; sed posita sola intentione efficaci dandi gloriam, intelligitur prædestinatione ordinaria ex parte voluntatis; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: intelligitur prædestinatione inadæquata; concedo minorem: adæquata; nego minorem: licet enim in illa intentione contineatur virtute, & in radice tota prædestinatione, adhuc tamen debet contineri formaliter; hoc autem fit, quando media sunt approbata, & determinata per voluntatem formalem, quæ dicitur eorum electio, cum prædestinatione non sit tantum ordinatio ad vitam, sed ad vitam per media congruentia.

96. Argues 3. Ex Philosopho essentia consistit in eo, quod est prius; sed intentio finis est actus distinctus, & prior electione mediolorum, cum objecta sint distincta, & unum prius alio, ut patet; ergo prædestinatione consistit formaliter ex parte voluntatis in sola intentione finis. Respondeo primo negando minorem: nam Deus antecedenter ad intentionem finis eodem actu indivisibili sine distinctione, prioritate, & dependentia cognoscit clarè finem, & media, sicut causam & effectum cum dependentia effectus à causa, & cum voluntas intendat id, quod proponitur cognitum ab intellectu, etiam uno, & eodem actu indivisibili sine distinctione, prioritate, & dependentia intendit finem, & media propter finem, cum sic illa supponat ab intellectu cognita.

97. Respondeo secundò negando eandem minorem; licet enim intentio finis, & electio mediolorum sic distinguantur, sint priores & posteriores, ac dependeat in humanis; non ita fit in divinis, cum illa arguant imperfectionem; siquidem in humanis intercedit consultatio, & inquisitio, quæ ignorantiam involvunt non admittendam in Deo. Deinde prioritas, & dependentia repugnant cum Æternitate, & Ascitate divina; neque enim hæc admittit dependentiam; neque illa prius, & posterius.

98. Respondeo tertio, dato, quod intentio finis sit distincta, & prior electione mediolorum, sine ulla tamen dependentia, negando consequentiam, licet enim prout sic sit prior, non idè sequitur in illa consistere essentiam adæquatam, sed tantum inadæquatam prædestinationis. Patet, quia prior, & distinctus est actus intellectus ab actu voluntatis in prædestinatione totali; & Visio beata ab amore beatifico; & animal à rationali; & tamen neque prædestinatione totalis consistit formaliter adæquatè in solo actu intellectus, sed in utroque; neque Beatitudo in solâ visione, sed etiam in amore; neque essentia hominis in solo animali, sed etiam in rationali; ergo similiter prædestinatione ex parte voluntatis non solum in intentione finis, sed etiam in electione mediolorum consistit formaliter adæquatè. Accedit, quod sicut intentio finis est prior in intentione, sic electio est prior in executione.

99. Argues 4. Pro sola electione mediolorum, nempe ad gratiam, sub cuius nomine intelligunt Auctores hujus sententiæ, non solum gratiam sanctificantem, sed etiam omnia media, tam communia, quam particularia ad vitam æternam consequendam, nempe auxilia, vocationes, merita Christi Domini, Sacramenta, prædicationem Evangelii, &c. Prædestinatione est pars providentiæ; sed hæc versatur circa media; ergo prædestinatione consistit in electione mediolorum. Respondeo Providentiæ, cuius

pars est prædestinatione non versari tantum circa media; nam primò intendit finem assequendum, & postea applicat media, quibus acquiritur.

Argues 5. Prædestinatione est ordinatio executiva; sed executio fit circa media; ergo in electione mediolorum consistit prædestinatione. Respondeo Prædestinationem, licet sit executiva in actu secundo, & prout sic immediatè terminetur ad media, non ita esse, neque terminari in actu primo; sic enim prius intendit finem, nempe gloriam, & postea illam assequitur per media in executione adhibita. Undè ex hoc solum colligitur, prædestinationem in intentione prius intendere finem, in executione tamen prius adhibere media.

## SECTIO VI.

## Qualenam sit objectum, &amp; terminus Prædestinationis?

101. **D**VERTES primò Prædestinationem, cum sit actus intellectus, & Voluntatis Divinæ, ut diximus, habere suum objectum, sive materiam *circa quam*, hanc enim habent omnes hujusmodi actus, sicque qualenam sit horum actuum objectum, sive materia *circa quam*, hic inquirendum. Secundò, hujusmodi materiam *circa quam* prædestinationis esse duplicem: aut id, quod prædestinatur, & prout sic dicitur objectum; aut id, ad quod prædestinatur, & prout sic dicitur terminus; quamvis & hic, & illud, si sumantur diverso modo, possint dici & objectum, & terminus: nam sicut homo prædestinatus ad gloriam dicitur objectum, & gloria dicitur terminus; ita etiam gloria prædestinata ad felicitatem hominis dicitur (licet minus propriè) objectum; ipsa autem felicitas hominis dicitur terminus; de hoc autem termino, & objecto prædestinationis nobis in præsentem Sectione: sit igitur:

102. **D**ifficultas 1. Qualenam sit objectum, seu materia *circa quam* prædestinationis? Dico 1. Objectum prædestinationis non sunt, neque Divinitas, neque Personæ divinæ quæ tales, sive in ordine ad proprietates, aut notiones illis intimè convenientes. Probatur primò ex D. Aug. *tract. 105. in Joan.* ubi loquens de Prædestinatione Christi Domini: *Reste, ait, dicitur non prædestinatus secundum id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset, quod erat sine initio, sine termino sempiternus?* Secundò ratione, quia quæ prædestinantur, pendunt à libera Voluntate Dei; Prædestinatione enim, ut diximus, est actus Dei liber; sed illa non conveniunt Deo liberè, imò necessariò, & per naturam; ergo &c.

103. **D**ixi in ordine ad proprietates, quia Persona Divina, nempe Verbum, potest dici prædestinatum in ordine ad naturam assumptam, licet minus propriè; siquidè hæc denominatio potius cadit in Humanitatem, quam in Verbum; potius enim dicitur Humanitas prædestinata ad Verbum, ut illi uniretur, quam Verbum prædestinatum ad Humanitatem.

104. **D**ico 2. Sola substantia rationalis creata est per se objectum prædestinationis, & dicitur propriè prædestinari. Ita P. Soar. *lib. 1. de prædest. cap. 4. n. 4.* P. Tanner. *1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 1. n. 8. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 2. & 3.* P. Ruiz. *1. p. d. 1. de prædest. sect. 3. num. 13.* & alii. Probatur, quia prædestinatione propriè, ut supra diximus, est ordinatio efficax alicujus in finem ultimum supernaturalem per media supernaturalia assequendum; sed

sed ad hæc, & ad illum solæ substantiæ rationales creatæ sunt capaces, & possunt ordinari, & non sic irrationales; ergo solæ illæ sunt objectum, & materia circa quam prædestinationis.

105. Objicies 1. Aliquæ creaturæ irrationales ordinantur à Deo ad effectum supra eartum naturam; sic enim ordinatur aqua ad lavandam animam spiritualiter in Baptismo; & Sacerdos ad consecrandum Corpus Christi Domini; ergo possunt dici ad hos fines prædestinari. Respondeo posse ita dici improprie; non autem proprie: prædestinatio enim propria debet esse in ordine ad finem supernaturalem ultimum, qualis non est illa ablutio aquæ in Baptismo, neque consecratio Sacerdotis, imò sunt media ad finem ultimum consequendum.

106. Objicies 2. Humanitas denudata substantiâ est substantia rationalis creata; & tamen non dicitur prædestinata ad Beatitudinem; siquidem cum hæc sit operatio, operatio autem sit suppositorum, requirit suppositum, qualis non est sola humanitas; ergo &c. Resp. negando minorem; ad cujus probationem dicimus, humanitatem prout sic, licet non sit suppositum, esse tamen rem singularem; actiones autem dicuntur suppositorum, id est rerum singularium. Patet in Humanitate Christi Domini, quæ fuit verè prædestinata ad excellentem Beatitudinem, & ratione illius ad unionem hypostaticam, aut è contra; & tamen ibi actio non fuit alicujus suppositi, sed tantum rei singularis; jam enim diximus in Philosophia tom. 3. tract. 2. d. 3. sect. 13. à num. 450. naturam denudatam omni substantiâ posse absque novo miraculo operari, & intelligere, quo dato, cum suppositum sit tantum conditio, natura autem sit causa cõpleta, dicitur ipsa natura proprie, & principaliter prædestinari. Addo, licet humanitas prout sic possit dici non prædestinata ad Beatitudinem defectu substantiæ, nihil inde sequi contra nos, qui solum loquimur de substantia rationali, quæ sit persona, qualis non est humanitas sine substantiâ.

107. Objicies 3. Quælibet Persona divina est substantia rationalis; & tamen non dicitur prædestinata; ergo non omnis substantia rationalis dicitur prædestinata. Respondeo distinguendo consequens: non omnis dicitur prædestinata, si sit divina, & increata; concedo consequentiam: si sit creata; nego consequentiam: idè enim in conclusione apposuimus particulam *creata*; siquidem Personæ divinæ, ut diximus, non sunt capaces prædestinationis, præsertim in propria Natura, cum sit per se, & essentialiter beata.

108. Objicies 4. Christus Dominus est substantia rationalis creata, & Persona increata in natura extranea; & tamen non dicitur prædestinatus; ergo &c. Respondeo primò negando consequentiam: nos enim loquimur de substantia rationali, quæ sit persona creata, qualis non est Persona Christi Domini, cui cum, supposita assumptione, & gratia, & gloria debeantur, ut proprietates, non dicitur proprie prædestinatus; nam nulla res dicitur prædestinata ad suam proprietatem.

109. Respondeo secundò negando minorem, nam D. August. tract. 105. in Joan. exponens verba illa: *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret apud te*: illa exponit de claritate, & honore Christi hominis, ut sic, quam in prædestinatione habuit ex æternitate. Addo tamen hanc prædestinationem Christi Domini esse superioris ordinis, atque est illa, de qua loquimur, quæ est de re indebita creaturæ: prædestinatio autem Christi Domini est de re sibi debi-

ta, supposita unionem hypostatica.

Objicies 5. Angeli sunt substantiæ rationales creatæ; & tamen non dicuntur prædestinati; nam prædestinatio ex D. Aug. est *propositum miserendi*; & præparatio beneficiorum, quibus liberantur, quicunque liberantur; propositum autem miserendi, & liberandi, non datur, nisi erga illos, qui peccarunt, quales non fuerunt Angeli boni; mali verò, qui peccarunt, non prædestinantur; ergo &c. Respondeo primò negando minorem: prædestinatio enim (ut loquamur cum D. Bonav. in 1. dist. 40.) est duplex, alia, quæ simpliciter ordinat ad bonum, & hæc fuit in Angelis; & alia, quæ liberat à miseria peccati, quæ solis competit hominibus, & de qua locutus fuit D. Aug.

Respondeo secundò cum P. Soar. supra cit. num. 10. negando eandem minorem; ad cujus probationem dicit verba illa *propositum miserendi* non reperiri apud D. August. qui licet aliquando declarat prædestinationem per verbum *liberandi*, loquitur de sola prædestinatione hominum: aut ut idem P. Soar. dicit cum D. Thom. loquitur etiam de liberatione per præservationem.

Objicies 6. Deus habens ab æterno decretum absolutum de existentia rei in tali tempore exituræ, dicitur illam prædestinare ad esse, & fieri, ergo prædestinatio non est solum ad finem ultimum consequendum. Resp. distinguendo antecedens: dicitur illam prædestinare improprie; concedo antecedens: proprie; nego antecedens: tale enim decretum non est proprie prædestinatio, sed prædefinitio; nam prædestinatio propria debet esse ad rem supra naturam, qualis non est existentia, imò nihil est naturæ magis conforme, quàm ejus existentia.

Difficultas 2. Qualisnam sit terminus prædestinationis? Dico 1. Terminus prædestinationis semper est aliquid bonum, ad quod homo ex peculiari Dei affectu ordinatur. Probatur, quia ubique in Scriptura ponitur verbum prædestinatio, semper in bonam partem accipitur; & hic est Scholasticorum usus; ergo &c. Confirmatur, quia D. August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. & lib. de Bono persever. cap. 14. ita definit prædestinationem, ut sit *preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*; ergo prædestinatio versatur circa bonum ex peculiari, & absoluta Dei voluntate.

Dico 2. Terminus prædestinationis semper est aliquid bonum supernaturale. Ita D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. num. 8. Probatur primò, quia prædestinatio est affectus Dei absolutus efficax; sed hic, cum sit divinus, semper tendit ad bonum; & Deus propter suam bonitatem semper intendit sui similitudinem, quæ maximè fit per bonum supernaturale, si creatura est illius capax; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio est ordinatio facta ab extrinseco, nempe à Deo; sed hæc semper debet esse ad aliquid supernaturale; nam ordinatio ad naturale, cum fiat per naturam, semper est ab intrinseco; ergo &c. Confirmatur ex Epist. ad Rom. 1. & 8. Et 1. Cor. 2. Et ad Ephes. 1. aliisque Scripturæ locis, in quibus quoties agitur de prædestinatione semper est in ordine ad bona supernaturalia; ergo &c.

Dico 3. Terminus prædestinationis non est solum bonum supernaturale solius gloriæ. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. n. 14. contra Ocham. Guilielm. de Rubion. & Catherin. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*; vocatio autem,

autem, & justificatio ad gratiam spectant. Et ad Ephes. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei; adoptio autem fit per gratiam. Secundò ex Sanctis Patribus D. August. lib. de Bono persever. cap. 14. ubi dicit, prædestinationem esse præparationem gratiæ, & Beneficiorum Dei. D. Chrys. ad Ephes. 1. hom. 1. Deus, inquit, prædestinavit ad hoc, ut credat D. Prosper. ad objection. 11. Vincent. Ad prædestinationem, ait nihil aliud referri potest, nisi quod, aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem; ergo &c. Confirmatur, quia Sancti Patres, & Scholastici solam malitiam rejiciunt à ratione objecti, & termini prædestinationis; ergo è contra omnia beneficia, quibus liberamur à servitute peccati, quorum primum est gratia, comprehenduntur sub ratione objecti, & termini prædestinationis.

116. Dico 4. Terminus prædestinationis non est solum bonum supernaturale solius gratiæ. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. num 13. contra Durand. in 1. dist. 41. q. 1. ad 1. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. proxime: Illos & glorificavit. Et ad Rom. 9. Ut ostenderet divitiis gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Et Actor 13. Quotquot prædestinati erant in vitam æternam; ergo &c.

117. Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. August. lib. de corrept. & grat. cap. 7. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo. Et cap. 9. Qui ordinati sunt ad vitam æternam, sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati. Et cap. 13. Hæc, ait, de his loquitur, qui prædestinati sunt in Regnum Dei: & sæpè alibi: Et D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 13. Potuit, ait, sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam; ergo &c. Confirmatur, quia prædestinatio, ut diximus, est præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur, quicquamq; liberantur; sed non minus, imò majus beneficium est gloria, quam gratia, & homo non est perfectè liberatus à miseria, donec gloriam obtineat; ergo &c.

118. Dico 5. Terminus prædestinationis quoad bonum supernaturale est simul gratia, & gloria. Ita P. Soar. cit. n. 15. P. Ruiz d. 4. de prædest. sect. 2. & 3. & alii apud illos. Probatur primò ex proximè dictis pro utraque sententia. Secundò ex supra dictis à num. 92. quæ omnia hic militant. Tertio, quia prædestinatio est perfectissima prudentia, & providentia circa supernaturalia, ut supra diximus; sed ad perfectissimam prudentiam, & providentiam spectat, non tantum velle media, nec tantum intendere finem, sed velle media ad finem, & finem intendere per media; ergo prædestinatio versatur, & circa terminum, & circa gratiam, ut medium ad gloriam, & circa gloriam ut finem assequendum per gratiam.

119. Dico 6. Malum culpæ non est terminus prædestinationis, sive Deus neminem prædestinat ad malum culpæ. Est de fide. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. n. 2. P. Ruiz d. 1. de prædest. sect. 2. n. 1. & alii. Probatur primò autoritate Concil. Araus. 2. cap. 25. & Trid. Sess. 6. cap. 16. ex D. August. lib. de prædest. Sanctior. cap. 10. ubi ob rationem hanc dicit præscientiam latius patere, quam prædestinationem, quatenus Deus præscit, non tamen prædestinat malum culpæ: Quia Deus, ait, solum ea prædestinat, quæ ipse est factururus; præscit autem etiam, quæ non est factururus, neque prædestinat, ut peccata. Et lib. 5. de Civit. cap. 9. ait, Deum esse auctorem omnium potestatum, non verò omnium voluntatum: quatenus malorum voluntatum non est auctor, neque eas prædestinat; ergo &c.

120. Probatur secundò ratione, quia prædestinatio

est affectus Dei absolute efficax; sed hunc non habet Deus de malo culpæ; neque enim Deus vult, sed solum permittit peccatum; ergo non prædestinat ad peccatum, neque hominem, ut peccet. Confirmatur, quia, ut supra diximus, Deus solum vult peccatum voluntate permissivâ; sed hæc non sufficit ad prædestinationem; ergo &c.

121. Dico 7. Malum pœnæ propriæ, & rigorosè loquendo, non est terminus prædestinationis, neque homo prout sic dicitur prædestinatus ad malum pœnæ. Ita P. Soar. cit. n. 5. P. Ruiz cit. n. 14. Probatur primò, quia prædestinatio propriè dicta continet Dei voluntatem primariam antecedentem, & ex innata benevolentia, & propensione proveniente; sed malum pœnæ, sive punitio, non est per se intentum à Deo, sed per accidens; neque provenit à natura, & propria propensione voluntatis divinæ, imò potius à quadam quasi violenta coactione; Deus enim quasi coactus punit; ergo &c.

122. Probatur secundò, quia prædestinatio propriè est ad bonum supernaturale ut ad terminum; sed malum pœnæ, seu punitio, non est finis, sive terminus entitativè supernaturalis, neque effectus causandus per gratiam, cujusmodi effectus respicit prædestinatio propriè dicta; ergo &c. Confirmatur, quia punitio non est propriè finis personæ; siquidem hæc non destinatur ad punitorem ab intrinseco tanquam ad propriam perfectionem, & beatitudinem, quam debet respicere prædestinatio propriè, & rigorosè dicta; ergo &c.

123. Dico 8. Malum pœnæ minus propriè, & rigorosè loquendo potest dici terminus prædestinationis, & homo prædestinari ad pœnam. Ita sentire videntur D. August. lib. 15. de Civit. cap. 1. & lib. 21. cap. 24. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 7. 13. & 14. D. Prosper. D. Isidor. lib. 2. sent. cap. 6. Concil. Valent. 3. cap. 3. P. Soar. cit. n. 3. P. Ruiz cit. n. 12. & alii. Probatur primò ex illo 1. Cor. 4. Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos; mors autem est malum pœnæ.

124. Probatur secundò, quia Deus verè dicitur prædestinasse illa, quæ voluntate absoluta, & efficaci ordinavit, & decrevit facere in æternitate; sed ita ordinavit, & decrevit punire, quos præscivit peccaturos, & in peccato permanentes usque ad finem; ergo illos prout sic ad punitorem prædestinavit. Confirmatur primò, quia quod à Deo intenditur in punitore, nempe injuriis propriis, & Beatorum satisfacere, & meritis peccatorum debitas pœnas reddere, est bonum; ergo potest ad tale bonum prædestinare. Secundò, quia in punitore peccatorum est aliquid supra naturam, nempe ignis operatio in substantias spirituales; perpetuitas corporum; intensio apprehensionis, & tristitiæ, & similia; ergo &c.

125. Advertes primò, particulam præ in hujusmodi prædestinatione denotare antecessionem æternitatis ad tempus; non autem voluntatis divinæ ad Præscientiam Dei; alioqui jam malum pœnæ esset rigorosè terminus prædestinationis. Secundò, hæc non esse intelligenda de solo malo pœnæ æternæ, sed à fortiori posse intelligi de quacunque aliâ pœnâ. Tertio, hæc intelligenda esse de malo pœnæ purè pœnalis, sive inflictæ in puram vindictam, sicut est gehenna; non autem de malo pœnæ medicinalis, cujus generis est Passio Christi Domini; hæc enim cum infligatur in ordine ad majus bonum, est terminus prædestinationis in sensu rigoroso.

## SECTIO VII.

Quenam Scientia debeat in Deo  
presupponi ad Prædestina-  
tionem?

126.



**A**DVERTES, Scientiam Divinam, prout supra diximus, aut esse simplicis Intelligentiæ, quæ attingit res possibiles, ut possibiles, anteceditque omne decretum Dei liberum, & est eincessaria, necessariòque ei convenit: aut esse Scientiam visionis absolutam, quæ attingit res sub ratione futurationis absolutæ, aut existentis, supponitque decretum Dei liberum, & est scientia libera, contingenterque Deo conueniens: aut esse Scientiam Mediam, quæ inter has mediat: qualisnam ex his debeat presupponi ad prædestinationem, dicemus per sequentes conclusiones: Sit igitur:

127.

**C**onclusio 1. Prædestinatio necessariò presupponit in Deo aliquam Scientiam. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 6. num. 2.* Probatur primò ex illo ad Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit, &c. quæ duo verba, cum non sint accipienda ut synonyma, & ex ordine litterarum prior sit præscire, quam prædestinare, satis constat, præscientiam supponi ad prædestinationem. Secundò ex D. Aug. qui lib. de Bono persever. definiens Prædestinationem, dicit esse *Præscientiam & præparationem Beneficiorum Dei*; sed in hac præparatione consistit formaliter prædestinatio, ut diximus, & dixit idem D. Aug. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. dicens, *Prædestinationem esse gratiæ præparationem*: statimque subiungit: *quæ sine præscientia esse non potest*; ergo cum dicit prædestinationem esse præscientiam, & præparationem, illamque prius ponit, illam ut conditionem necessariò prærequisitam ad prædestinationem videtur ibi apponere.

128.

**P**robatur 3. ratione, quia prædestinatio, ut diximus, consistit in aliquo actu libero Voluntatis divinæ; sed ante omnem actum liberum voluntatis debet antecedere aliqua cognitio, ut patet, tum ex definitione voluntarii, debet enim esse à principio intrinseco cum cognitione: tum ex ratione libertatis, quæ provenit ex indifferentia iudicii proponentis: tum ex generali axiomate; *Nihil volitum, quin præcognitum*, quæ omnia in Deo locum habent, seclusis imperfectionibus; ergo ante prædestinationem necessariò præcedit in Deo aliqua cognitio, sive scientia Confirmatur, quia omnis natura intellectualis, etiam Divina, circa quantumque rem prius agit per intellectum, quam per voluntatem; sic enim Deus ipse prius se intelligit, quam amet; ideoque prior est Generatio Filii, quam productio Spiritus Sancti; ergo circa prædestinationem præcedit operatio intellectus; consequenterque aliqua scientia necessariò prærequiritur.

129.

**C**onclusio 2. Prædestinatio necessariò presupponit Scientiam simplicis Intelligentiæ Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 6. num. 5.* *P. Herice 1. part. tract. 3. d. 22. num. 7.* *P. Arrub. 1. part. q. 23. d. 7. cap. 5. num. 15.* *P. Arriaga 1. p. d. 33. sect. 1. num. 2.* *P. Præposit. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 2. n. 19.* *P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. n. 1.* *P. Rhodæz tom. 1. d. 5. q. 1. sect. 2. §. 1. & alii.* Probatur primò, quia ex communi Theologorum Scientia naturalis semper necessariò antecedit decretum Dei liberum, cum

possit esse sine illo, non tamen è contra; nam Deus non potest esse sine proprietatibus naturalibus; potest tamen sine actibus liberis, ut tales sunt; sed prædestinatio, saltem partialiter, est decretum Dei liberum; Scientia autem simplicis intelligentiæ est naturalis; ergo hæc illud antecedit, & est prior.

Probatur secundò, quia Voluntas Divina ante suum decretum efficax, & iudicium eam dirigens ad talem actum, supponit representatam possibilitatem objecti, nempe Angeli prædestinandi, & gloriæ dandæ, ac meritum, quibus potest obtineri; siquidem voluntas non fertur, nisi in possibilibus ut talia cognita; sed id fit per Scientiam simplicis Intelligentiæ, quæ circa rerum possibilitatem versatur; ergo &c.

**C**onclusio 3. Prædestinatio necessariò requirit Scientiam mediam. Ita *P. Soar. cit. cap. 7. num. 4.* & in opusc. lib. 2. de Scient. condition. cap. 2. num. 5. *P. Mol. 1. p. q. 23. a. 4. d. 1. membr. 11. conclus. 5.* & quest. 22. a. 1. d. 2. *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 17. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 1. & d. 98. cap. 4. P. Less. de Auxil. cap. 4. num. 16. P. Foss. tom. 3. Met. lib. 6. cap. 2. q. 4. sect. 9. & q. 5. sect. 13. ad 7. quos citat & sequitur P. Herice 1. p. tr. 3. d. 22. cap. 3. num. 15. P. Arrub. 1. part. q. 23. d. 7. cap. 4. n. 10. P. Præposit. 1. p. q. 23. a. 8. dub. 2. n. 19. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. num. 1. P. Rhodæz tom. 1. d. 5. sect. 2. q. 1. §. 1. & alii.* Probatur primò, quia prædestinatio, cum sit intentio divina efficax dandi gloriæ, & electio mediorum, ita debent accommodari, ut non offendant libertatem creatam; sed hoc solum fit præsuppositâ Scientiâ Mediâ; siquidem data intentione efficaci, si Deus non adhibeat media sciens quid ex illis futurum sit, quod fit per Scientiam Mediam, ne postea frustretur ejus decretum efficax, impellet voluntatem, velit, nolit, ad eliciendum actum bonum, quo impulsu tolleretur libertatem, tolleretur enim indifferentia ad operandum, vel non operandum, quod non est dicendum; ergo &c.

Probatur secundò, quia in Deo, ejusque modo operandi non est admittenda aliqua imprudentia, cum sit imperfectio; sed ita admittetur, si in prædestinatione intenderet efficaciter finem, nullâ ejus contingentiam relicta; hoc autem fieret, si prius non haberet Scientiam mediam, per quam sciret certò, an haberet potestatem, & media congrua ad ipsam finem consequendum; consequenterque imprudenter operaretur; ergo &c.

Probatur tertio, quia Deus intendens efficaciter gloriæ prædestinatis, voluit illis dare media congrua ad illam consequendam; alioqui non eis conferret speciale beneficium; sed non potuit id ita velle, nisi præsuppositâ Scientiâ Mediâ, per quam præcognoscit, prædestinatum in hac, aut illa potius occasione, quam in alia acceptaturum talia media; ergo &c. Confirmatur, quia, ut supra diximus, ad Providentiam divinam presupponitur necessariò Scientia mediâ; ergo etiam ad prædestinationem, cum sit illius pars, ut etiam supra diximus.

**A**rgues 1. Scientia Media neque est pars, neque causa, neque effectus prædestinationis; ergo ad illam non requiritur. Resp. negâdo consequentiam: licet enim Scientia Media non sit pars, neque causa, neque effectus prædestinationis, requiritur tamen necessariò, & logicè ex parte Dei prædestinantis, ut sciat quale beneficium confert dando hoc, aut illud auxilium; alioqui modo cæco, & imprudenter operaretur.

**A**rgues 2. Deus necessariò attingens consensum futurum

futurum ante prædestinationem, propter illum, ut propter meritum moveatur ad prædestinandum; ergo prædestinatio est opus Justitiæ, & non Misericordiæ; consequenterque ad illam non requiritur Scientia Media, propter quam Deus præcognoscat media congrua, ut in illis dandis speciale beneficium conferat prædestinato. Respondeo negando antecedens: nam cum meritum habeat rationem causæ efficientis moralis, & hæc non possit operari, quin habeat existentiam absolutam, vel physicam, vel intentionalem, quam non habet consensus cognitus per Scientiam mediam, sed tantum existentiam conditionatam, ideò Deus non propter illum, ut propter causam meritoriam prædestinat, sed tantum propter illum ut conditionem sine qua non Deus hic & nunc prædestinat, sicque Deum non obligat ad prædestinandum, neque physicè neque moraliter ex justitia, sed id efficit ex Misericordia.

136. Argues 3. Ideò necessariò requireretur Scientia Media ad prædestinationem, quia necessariò deberet Deus prævidere quamam media essent efficacia ad finem efficaciter intentum consequendum, ad quod necessaria esset talis scientia; sed Deus ab æterno non prævidet hanc mediorum efficaciam; siquidem sæpius loco unius medii, quod videt frustratum, aliud, & aliud confert prædestinatis, donec aliquod habeat effectum, quod non ita esset, si eorum efficaciam prævideret, statim enim applicaret, quod prævideret habiturum effectum; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicimus, Deum ab æterno prævidere per Scientiam Mediam & efficaciam, & inefficaciam mediorum, & utraque ut sic prævisa applicare; cum autem illa media frustrata non sint congrua, & efficacia, sed inefficacia, & à Deo ut talia prævisa, & data, ideò frustrantur, quæ Deus aliquando etiam dat prædestinato permittens ejus ruinam, ut postea recipiendo congrua, vehementius poeniteat, & amet, sicque finem intentum assequatur.

137. Argues 4. Ideò requireretur Scientia Media ad prædestinationem, quia Deus deberet prævidere finem, & media per quæ posset infallibiliter acquiri; sed ad id satis est Scientia simplicis intelligentiæ; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam cum Scientia simplicis intelligentiæ solum proponat objecta possibile sub ratione possibilitatis, non potest ostendere efficaciam mediorum, neque consensum conditionatè futurum: si autem Deus non præviso consensu conditionatè futuro, & efficaciâ mediorum, quod fit per Scientiam mediam, decerneret efficaciter finem, & tolleretur libertas creata, & Deus imprudenter ageret, ut diximus.

138. Argues 5. Scientia Media neque auget Potentiam Divinam, cum supponat objectum conditionatè futurum, & hoc supponat Potentiam Divinam jam completam; neque ponit aliquid in prædestinato, quod supponit ut objectum, Scientia autem nihil ponit in objectum; ergo neque ex parte Dei prædestinantis, neque hominis prædestinati requiritur Scientia Media. Respondeo negando consequentiam; requiritur enim ad perfectum modum operandi, & Dei, quia prout sic prudenter, & sine temeritate operatur; & creaturæ, quia prout sic non læditur ejus libertas.

139. Argues 6. Infantes mortui accepto Baptismo, vel Martyrio sunt de numero prædestinatorum; & tamen non sunt prædestinati prædestinatione supponente Scientiam Mediam; siquidem eorum sa-

Tom. 1.

lus non dependet à meritis, de quibus est Scientia media; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cuius probationem dicimus, prædestinationem infantium sic decedentium, licet non supponat Scientiam mediam meritorum, illam tamen supponere de Baptismo, aut Martyrio accipiendo, si creentur, & in hac, aut illà occasione ponantur; imò etiam de voluntate baptizantis, & tyranni occidentis.

140. Argues 7. Deus speciali gratiâ specialem affectum ostendit erga aliquem, si fit paratus toties eum vocare, quoad usque respondeat, & salvetur, idque sine Scientia Media; ergo hæc non prærequiritur ad prædestinationem. Respondeo negando antecedens; talis enim modus procedendi est imperfectus, utpotè cæcus, Deoque alienus; siquidem posset homo unâ datâ vocatione respondere, & salvari, sed præter intentionem, & Scientiam Dei: aut poterit datis pluribus vocationibus ex speciali affectu non respondere, sicque non salvari, cum tamen Deus id velle ante ex speciali affectu, quod est absurdum.

## SECTIO VIII.

*An, & quomodo Scientia Visionis prærequiratur ad Prædestinationem?*

141. Dico 1. Prædestinatio prærequirit Scientiam Visionis naturalis habentis pro objecto Perfectiones divinas, nempe Omnipotentiam, Essentiam, & ipsamet Scientiam Divinam. Probatur, quia Deus non potest efficaciter intendere nostram gloriam, nisi prius sciat, se habere potentiam ad illam producendam, & suam Essentiam posse à nobis videri, quod fit per Scientiam Visionis naturalis; & cum talis scientia sit supra se ipsam reflexa, etiam hæc sui ipsius visio prærequiritur; ergo &c. Major tamen quæstio est de Scientia Visionis absoluta libera: Pro quâ:

142. Dico 2. Si prædestinatio nostra est medium à Deo assumptum ad manifestandam suam gloriam, & Bonitatem, præsupponit Scientiam visionis absolutam de decreto divino intendente earum manifestationem. Probatur, quia prior est, & cognoscitur à Deo intentio finis, quam electio mediorum; sed decretum illud est intentio finis; siquidem per illud intendit Deus manifestationem suæ gloriæ, & bonitatis; prædestinatio autem nostra est electio mediorum; siquidem in illa eligitur medium ad talem manifestationem; ergo prius cognoscitur illud decretum; sed talis cognitio spectat ad Scientiam visionis absolutam talis decreti; ergo &c. Undè:

143. Advertes primò, etiam prærequiri Scientiam visionis absolutam ipsius gloriæ & bonitatis Divinæ, quarum manifestatio intenditur per illud decretum, idque non solum quatenus possunt cognosci in ipso decreto, sed etiam in se; siquidem non potest cognosci decretum de communicanda gloria, quin cognoscatur ipsa gloria, quæ est illius objectum, ut potens communicari, & manifestari; alioqui cum sit prout sic cognoscibilis, si à Deo nō cognosceretur, Cognitio Divina non esset comprehensiva, quod non est dicendum.

144. Advertes secundo, si Deus in tali decreto intendat etiam augmentum accidentale suæ gloriæ, etiam

B b 2

etiam præquiri Scientiam Visionis absolutam illius augmenti. Patet, quia illud augmentum per tale decretum accipit futuritionem; siquidem implicat, quod Deus aliquid efficaciter decernat, & hoc non sit; sed res sic in futuritione cognoscitur per huiusmodi scientiam; ergo sic cognoscitur illud augmentum, non solum abstractivè in ipso decreto, sed etiam intuitivè in se, cum sit prout sic cognoscibile.

145. Dico 3. Si Christus Dominus fuit causa exemplaris, & meritoria nostræ prædestinationis, ideoque fuit prius prædestinatus, nostra prædestinatio præquiri Scientiam visionis absolutam Christi Domini, & illius meritorum. Probatur, quia causa, tam physica, quam moralis, semper est prius existens, & ut talis cognoscitur à Deo, quam effectus; sed Christus Dominus, ut supponimus, & illius merita sunt causa efficiens, & moralis nostræ prædestinationis; movent enim Deum ad intendendam efficaciter nostram gloriam per talia media, sicque sunt causa meritoria, quod est esse causa efficiens moralis; ergo prius existunt, & prius à Deo cognoscuntur; sed non cognoscuntur per aliquam ex aliis Scientiis, ut patet; ergo per scientiam visionis absolutam; consequenterque hæc præquiritur.

146. Dico 4. Si in prædestinatione decretum intendens nostram gloriam est prius decreto eligente media, hoc præsupponit necessariò Scientiam visionis absolutam illius; imò & ipsius gloriæ. Probatur prima pars, quia decretum intendens gloriam in eodem signo, quo est, cognoscitur à Deo scientiâ visionis absolutâ, cum sit pro eo signo sic cognoscibile; alioqui aliquid daretur cognoscibile, & à Deo non cognitum; sed tale decretum est ante decretum eligens media; ergo ante illud cognoscitur; consequenterque præsupponitur illius scientiâ visionis absolutam ad electionem mediorum.

147. Probatur secunda pars, quia non potest cognosci actus quidditivè, & intuitivè, quin in eo cognoscatur illius objectum scientiâ visionis absolutâ; cum ejus essentia sit in ordine ad objectum; sed huiusmodi Scientiâ, cum sit divina, ut talis attingit decretum illud quidditivè, & intuitivè, cum sit prout sic cognoscibile; alioqui non esset comprehensiva, quia aliquid daretur cognoscibile ab ea non cognitum; ergo etiam cognoscit illius objectum nempe gloriam abstractivè in ipso decreto; & intuitivè in se, cum cognoscat ut sic rem futuram absolutè, qualis est illa gloria, posito decreto efficaci, alioqui posset non esse, & tale decretum frustrari, quod non est dicendum.

148. Dices: Res solum cognoscitur scientiâ intuitivâ visionis sub ratione existentia exercitæ pro aliqua differentia temporis; sed non ita cognoscitur gloria; ergo &c. Respondeo negando minorem; sic enim cognoscitur gloria, posito decreto efficaci illam intendente, licet videatur requiri decretum executionis, ut illam ultimò ponat extra causas, nam cum illud decretum sit efficax, secum defert executionem in tali differentia temporis; sicque posita electione efficaci mediorum, per se ipsam applicat Omnipotentiam ad executionem, & dat existentiam gloriæ; alioqui non esset efficax, possetque frustrari, non existente gloria.

149. Dico 5. Decretum intendens gloriam, & decretum eligens media non præsupponunt sui ipsorum scientiam visionis absolutam. Probatur, quia omnis scientia, si non prioritate in quo, saltem prioritate à quo, supponit objectum; siquidem res non est, quia cognoscitur, imò cognoscitur, quia

est, sicque prius est esse rei, quam ejus cognosci; sed huiusmodi decreta sunt objectum illius scientiæ; ergo non possunt illam præsupponere, imò ad illam præsupponuntur; alioqui se ipsa præsupponerent.

Dico 6. Nulla scientia visionis absoluta effectuum præsupponitur ex parte prædestinati ad totam ejus prædestinationem. Probatur, quia huiusmodi effectus ab ipsa prædestinatione accipiunt suam futuritionem absolutam, nullamque habent ante illam; ergo non possunt tali scientiâ cognosci; alioqui antequam essent, cognoscerent.

Dices: Merita in executione sunt priora, quam est decretum dandi gloriam; ergo possunt prout sic prius cognosci scientiâ visionis absolutâ. Respondeo negando antecedens, si executio sumatur prout intenta à Deo in æternitate; tunc enim præcedit omnia merita in esse absoluto; siquidem illa præcedit intentio dandi gloriam, quæ est idem cum hac executione, de qua hic loquimur, non autem de executione sumpta ex parte rerum, prout exercita in tempore, sive pro ipsa gloria possessa; tunc enim merita antecedunt intentionem finis, utpotè qui per illa acquiritur.

Dico 7. Si electio mediorum est multiplex respectu alicujus prædestinati, electio posterioris medii supponit scientiam visionis absolutam electionis prioris medii, à qua dependet; imò & ipsius medii. Probatur, quia cum illa electio sit veluti effectus istius electionis, supponit eam realiter existentem in aliquo priori signo, illiusque objectum in esse futuro; sic enim supponit omnis effectus suam causam; ergo supponit illius scientiam visionis absolutam, jam enim tunc potest illam terminare.

Dico 8. Tota prædestinatio alicujus hominis non supponit necessariò Scientiam visionis absolutam de illius existentia in rerum natura. Probatur, quia Deus per eundem actum potest intendere alicui homini possibili gloriam ordinando simul ut ille sit in rerum natura; nulla enim in hoc apparet repugnantia; sed tunc non præsupponitur necessariò Scientiâ visionis absolutam de illius gloria; ergo neque de illius existentia, cum Deus utramque simul intendat, & decernat. An verò de facto ita decreverit Deus? infra dicemus.

Dices: In rerum natura necessariò præsupponitur ad formam natura ipsi existens, ut causa materialis, & subiectum recipiens; sic enim præsupponitur existentia hominis ad gratiam, quæ est veluti forma accidentaliter respectu ipsius hominis; sed talis videtur esse prædestinatio respectu hominis prædestinati; ergo necessariò debet præsupponere illius existentiam. Respondeo majorem esse veram in ordine executionis exercitæ; non tamen in ordine intentionis; in hoc enim sufficit si simul, & per modum unius intendatur.

## SECTIO XI.

*Virum in actibus Voluntatis Divina detur ordo prioritatis, & posterioritatis?*



DVERTES quæstionem non procedere de prioritate, & posterioritate reali, quæ provenit à dependentia reali, quam ipsi a Causis inter se habeant, hoc enim repugnat cum

cum simplicitate divina, & ratione independentiæ, sed solum procedere de prioritate, & posterioritate rationis, & quoad nos, detur nē in actibus voluntatis divinæ, & à quo illa distinctio, & prioritas, ac posterioritas defumatur? pro quo:

156. Dico 1. In actibus Voluntatis Divinæ potest admitti & servatur hujusmodi ordo prioritatis, & posterioritatis. Ita P. Soar. P. Ruiz, P. Arriaga, & alii infra citandi. Probatur primò, quia sicut finis movet ad media, ita intentio ipsius finis ad electionem mediorum; sed propter ipsam motionem semper finis est prior mediis; ergo propter eandem prior erit intentio ipsius finis, quam electio mediorum; consequenterque prior erit in Deo intentio dandi gloriam, quam electio mediorum, non prioritate in quo, & naturæ, seu causalitatis, & dependentiæ, sed prioritate à quo, ita ut verum sit dicere, idē est in Deo electio mediorum, quia est intentio finis, nempe dandi gloriam. Secundo, quia prior est in Deo prævisio, & acceptatio nostri meriti, quam voluntas dandi præmium; ad hoc enim dandum movetur Voluntas divina ex merito prævisio, & acceptato; ergo idem dicendum est de intentione dandi gloriam respectu electionis mediorum, cum in utroque casu moveatur Voluntas divina ex uno ad aliud.

157. Oppones 1. Deus sine ulla repugnantia amat eodem actu indivisibili & finem propter se, & media propter finem; sic enim intendit existentiam compositi, & in ea, quod materia sit causa formæ, & forma sit illius effectus; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem datur diversa ratio; nam cum intentio influat in electionem mediorum eam finalizando, sequeretur, idem sine ulla distinctione, & prioritate esse veluti causam, ut finis, & effectum, ut medium, quod implicat: at verò cum materia immediate, & per se physicè causet formam, idē eodem actu indivisibili, & sine ulla prioritate ex parte actus possunt cognosci cum tali causalitate, quod non habet finis, qui cum prius intentus moveat agens intellectuale ad electionem mediorum, non ita movere potest sine aliqua prioritate.

158. Oppones 2. Si intentio finis esset in Deo prior, & distincta ab electione mediorum, sequeretur ipsam intentionem esse electionem mediorum consensulam pro illa prioritate, darique in Deo voluntatem consensulam; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; nam Voluntas divina non ita tendit in finem secundum ejus exigentiam, ut nihil determinet circa media, ut sic à voluntate creata, sed ita fertur in illum secundum talem exigentiam, ut illum præintendat cum respectu ad talia, aut talia media, illa volendo virtute in ipso fine, & ex illo progrediendo ad eorum formalem volitionem, sive electionem, supponit enim ante intentionem media perfectè comprehensa ab Intellectu, quod non habet voluntas creata, ideoque hæc non autem Voluntas divina admittit confusionem.

159. Oppones 3. Scientia divina est regula voluntatis divinæ; sed scientia divina antecederet ad actus voluntatis eodē indivisibili actu, etiam quoad nos, sine ulla prioritate, & posterioritate tendit simul in finem, & in media propter finem; sicut eodem actu indivisibili sine aliqua prioritate, aut posterioritate tendit in Omnipotentiam, & creaturas possibili-  
160. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & creaturas; & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
161. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
162. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
163. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-

sterioritate tendet simul in finem, & in media propter finem.

160. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
161. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
162. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-  
163. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & in omnes causas, earumque effectus immediate per se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Unde dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque seibilitate, ac continentia procederet ad cognoscenda media, creaturas possibili-

161. Oppones 4. In actibus divinis nulla imperfectio est admittenda; sed intendere prius finem, & postea procedere ad investiganda media est maxima imperfectio; ergo &c. Respondeo negando minorem; id enim in Deo nullam arguit imperfectio-  
162. Oppones 5. Finis semper est volutus dependenter à mediis; ergo ejus intentio non potest præcedere ordine rationis mediorum electionem. Respondeo finem semper dependere à mediis in executione, non tamen in intentione; sicque bene posse finem, qui non est acquirendus, nisi per media, intendi prius, quam media eligantur, & acceptentur, præsertim cum media sæpius sint plura, & non omnia necessaria, ideoque voluntas pro sua libertate potest prius intendere efficaciter finem, quam eligat formaliter expressè hoc potius, quam illud medium. Patet, quia Doctores communiter asserunt, Deum prius voluisse gloriam Corporis Christi Domini, quam ejus Passionem, per quam illa erat acquirenda: & prius voluisse esse Christum Dominum, quam ejus Matrem Virginem Sanctissimam; sicque de aliis.

163. Oppones 6. Ratio formalis, per quam attingitur objectum, attingitur cum illo eodem actu indivisibili, etiam quoad nos; sed ratio formalis, per quam media attinguntur, est bonitas finis; ergo hæc eodem actu indivisibili attingitur cum illis; sed hæc non potest attingi sine fine, cujus est bonitas; ergo eodem actu attingitur etiam ipse finis simul cum mediis. Resp. majorem esse veram de ratione formali intrinseca, quæ constituit honestatem, & bonitatem delectabilem, aut utilem objecti; non tamen de ratione formali extrinsecâ movente, aut finaliter, aut efficienter; hæc enim aliquando attingitur actu diverso: bonitas autem finis non est ratio formalis intrinseca mediorum, cum hæc habeant suam bonitatem utilem, per  
quam

quam eliguntur, sed solum est motivum à priori, quo voluntas movetur ad eligenda ipsa media, interim inserviente intentione finis in genere cause efficientis ad eliciendam mediorum electionem, sicque non debet necessarid attingi eodem actu.

164. Dico 2. Huiusmodi distinctio, & prioritas, ac posterioritas in actibus divinis delimitur ex subordinatione, ac dependentia objectorum inter se, & ex modo tendendi ad illa. Ita P. Soar. *tomo 1. in 3. p. d. 5. sect. 1. P. Vasq. d. 82. cap. 5. num. 16. P. Valent. hic q. 19. punct. 5.* quos citat & sequitur P. Tanner. *d. 2. quast. 10. dub. 5. num. 11.* Probatur, quia absoluta in Deo, cum sint idem, non habent ab intrinseco unde multiplicentur, & subordinentur, sed tantum in ordine ad res creatas, & ex modo tendendi ad illas; atqui in creatis finis, & media subordinantur, & actus tendens in finem est distinctus, & ex modo tendendi est prior actu tendente in media; ergo hoc idem in Deo admittendum est, seclusis imperfectionibus dependentiæ, & prioritatis naturæ, quæ dicat negationem simultaneæ existentia.

### SECTIO X.

*Virum in Deo admittendus sit ordo intentionis, & executionis distinctus?*

165.



VERTES difficultatem in eo sitam esse, utrum scilicet intentio efficax, sive finis, sive mediorum in Deo fuerit sufficiens ad applicandam postea potentiam exequentem in tempore; an necessarium fuerit ponere aliud decretum diversum ad talem executionem? duplex est in hac re sententia: Prima asserit, sufficere illam intentionem efficacem finis, aut mediorum: Secunda autem affirmat necessarium esse illud decretum diversum ab ipsa intentione efficaci ad talem executionem; quid autem à nobis sit tenendum, jam dico: sit igitur:

166.

Conclusio 1. Necessarii non fuerunt in Deo duo illi ordines, sive duo actus diversi. Ita Doctores primæ sententiæ cum P. Vasq. *1. p. d. 89. cap. 7. P. Herice tr. 3. d. 23. cap. 11. num. 129. P. Ruiz. de Prædest. d. 12. sect. 7. num. 9. & d. 59. sect. 1. n. 4. P. Quiroz. de prædest. d. 12. sect. 6. num. 41. & alii.* Probatur primò, quia intentio efficax absoluta in eo distinguitur à simplici complacentia, & intentione inefficaci, quod illa per se, secluso quocumque alio, extrahit rem ab statu puræ possibilitatis, & non sic ista; sed non illam sic extrahit, nisi per executionem, movendo scilicet potentiam executivam; ergo includit in se ipsam executionem. Secundò, quia potentia executiva creaturæ rationalis, si est expedita, determinatur immediatè ad operandum per intentionem efficacem ipsius creaturæ; sed potentia executiva Dei est maximè expedita; ergo determinabitur immediatè ad operandum ab eius intentione efficaci; consequenterque hæc erit intrinsece executiva, quin necessarius sit alius actus diversus exequens.

167.

Probatur tertid, quia potior non est intentio efficax erga voluntatem, quam erga potentiam executivam; sed, ut Adversarii fatentur, illa potest movere Voluntatem Divinam ad eliciendum illud secundum decretum exequens; ergo etiam poterit movere immediatè ipsam potentiam exequentem

ad executionem sine tali decreto diverso, aliter assignetur diversa ratio.

Probatur quartò, quia in creatis idè post intentionem efficacem finis, sequitur sapius actus distinctus applicans potentiam executivam, quia propter ignorantiam mediant inquisitio, & consultatio mediorum, interimque perit ipsa intentio efficax; sed in Deo ob suam scientiam comprehensivam non datur illa inquisitio, neque consultatio, neque perit ipsius intentio efficax, semel enim elicit, semper durat; alioqui mutaretur ipse Deus, cum quo est idem; ergo hæc, facta prius electione formali mediorum, poterit per se applicare potentiam exequentem sine novo actu distincto.

Dices 1. Si decretum exequens esset idem cum decreto intendente, cum hoc præcedat merita, etiam illa præcederet illud; sed hoc non est dicendum; alioqui cum sit causa immediata meritorum, sequeretur necessitate antecedenter voluntatem ad illa; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicimus, tale decretum esse causam immediatam auxiliorum, & mediatam tantum meritorum, sive consensuum, quos cum supponat præcognitos in esse conditionato per Scientiam mediam, non inducit necessitatem antecedentem, sed solum necessitatem consequentem involvit.

Dices 2. Quando objecta sunt diversa, etiam diversi actus eis correspondent; sed illic objecta sunt diversa; siquidem respectu intentionis est gloria ut amabilis non applicando potentiam exequentem, & respectu executionis est gloria ut operabilis applicando ipsam potentiam; ergo &c. Respondeo negando minorem: representatur enim gloria ut amabilis, & operabilis simul, tanquam unum objectum respectu intentionis efficaciæ, & ut talis applicantis potentiam ad executionem, quod non implicat; sicut non implicat amare unico actu Deum, & propter illum applicare potentiam exequentem ad dandam elemosynam externam sine novo actu interno.

Dices 3. Aliqua voluntas debet admitti, per quam ponatur gloria post prævisa merita; sed huiusmodi voluntas non potest esse illa prima intentio habita ante prævisa merita; siquidem executio non fit, nisi per determinationem factam à prævisione meritorum; prævisio autem non determinat ad operandum per primam intentionem, sed excitando novam voluntatem, per quam de novo amatur gloria; ergo intentio, & executio semper distinguuntur. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicimus, si daret prima intentio efficax, necessarium non esse, quod prævisio meritorum determinet ad novam voluntatem, sed sufficere ipsam primam intentionem ad applicandam potentiam exequentem; sicut sufficit ad causandam electionem formalem ipsorum meritorum; cum autem in Deo semper daret, idè admittenda non est nova voluntas exequens.

Conclusio 2. Duo illi ordines intentionis, & executionis diversi non implicant absolutè in Deo. Ita P. Soar. *lib. 1. de prædest. cap. 14. num. 3. & tom. 1. in 3. p. d. 5. sect. 1. & d. 10. sect. 4. & lib. 3. de Auxil. cap. 19. num. 4. P. Arrub. d. 74. cap. 2. P. Arriaga de prædest. d. 35. sect. 7. P. Quiroz. tract. 4. d. 11. sect. 6. num. 38. & alii.* Probatur primò, quia nulla datur repugnantia in eo, quod creatura rationalis, quæ potest per intentionem efficacem se immediatè determinare ad executionem rei, applicando per se potentiam exequentem, possit etiam id efficere mediare

mediatè imperando pro sua libertate prius alium actum, qui sit immediatè executivus ipsius rei; sed tunc dabuntur duo illi ordines intentionis, & executionis diversi; ergo hi non repugnant creaturæ rationali, ac proinde neque Deo.

173. Probatur 2. Quia licet Deus possit se solo producere ignem, non ita vult se solo, sed simul cum alio igne illum producere; ergo etiam licet possit solâ intentione efficaci applicare Omnipotentiam ad producendam rem, poterit tamen pro sua libertate non ita velle producere, sed medio alio actu applicante ipsam Omnipotentiam; consequenterque tunc habebit distinctos actus intentionis, & executionis. Confirmatur, quia licet homo ex imperio amoris Dei sine alio actu reflexo possit immediatè velle eleemosynam externam, potest tamen pro sua libertate etiam illam velle mediatè, sive mediante alio actu pertinente ad ipsam eleemosynam; ergo similiter licet Deus per intentionem efficacem possit velle immediatè executionem nostræ gloriæ, poterit etiam pro sua libertate eam velle mediatè, sive mediante alio actu exequentem, cum in hoc nulla appareat specialis repugnantia, aut contradictio.

174. Argues 1. Aut res per eam intentionem efficacem accipit existentiam sufficientem ad terminandam Scientiam Visionis; aut non: Si primum; ergo secum defert executionem; siquidem nulla res potest talem existentiam accipere, nisi per applicationem Causæ Primæ; talis autem applicatio non datur absque Voluntate Divina exequente: Si secundum; ergo jam intentio Dei efficax non distinguitur ab ejus intentione inefficaci, & simplici complacentia, quod non est dicendum; ergo &c. Respondeo accipere quidem illam existentiam, solum tamen radicaliter, & remotè, quatenus Deus ex vi illius intentionis determinatus est ad secundam volitionem executivam, per quam accipit existentiam illam formaliter, & proximè, ideoque post hanc secundam volitionem attingitur res per scientiam visionis absolutam; non autem post illam primam, cum adhuc tunc non sit simpliciter extra statum possibilitatis, sed tantum in via necessaria ad statum futuritionis, quod non efficit intentio Dei inefficax, sicque bene inter se distinguuntur.

175. Instabis: Si res adhuc tunc manet in statu possibilitatis, solumque terminat Scientiam simplicis Intelligentiæ, sequitur decretum illud non fuisse efficax; siquidem hoc involvit media, saltem virtute, extrahitque rem ab statu possibilitatis; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: illud enim decretum fuit efficax in intentione, non autem in executione, ad quod satis est, quod Deus obligetur ad ponendum necessariò secundum illud decretum efficax executivum, per quod res tantum ponitur in statu futuritionis absolutæ.

176. Argues 2. Si in Deo possent admitti duo illi ordines distincti, sequeretur, principium meriti de lege ordinaria cadere sub meritum, si v.g. detur gratis in intentione, & statim per merita ex illo procedentia prævisa jam in futuritione absoluta mereatur in executione; ac proinde Christus Dominus sic posset mereri Incarnationem; quilibet homo suam existentiam, & primam vocationem; sicque de aliis; sed hoc est contra cõmune Theologorum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nihil enim mereri potest, nisi videatur absolute futurum in se, & non ita videtur principium meriti ex vi solius primæ intentionis, sed tantum

videtur futurum in causa infallibili, quatenus scilicet ipsa intentio efficax Deum necessitat ad ponendam secundam volitionem executivam, quâ positâ sequitur infallibiliter operatio.

Neque dicas ad rationem meriti sufficere illam continentiam in causa, non, inquam, hoc dicas 177. adhuc enim requiritur, quod res existat formaliter in se ipsa, quapropter licet in Scientia Media de consensu futuro sub tali auxilio, & simul in voluntate dandi illud cõtineatur futuritio absoluta ipsius rei, ideoque in tali conjuncto videatur ipsa res ut absolute futura, non ideo prout sic visa poterit mereri suam existentiam, cum sit continentia tantum in causa, & non existentia in se ipsa. Unde similiter idem dicendum est à fortiori de continentia rei in decreto, sive intentione efficaci, nam adhuc in ea non continetur, ut diximus, nisi ut possibilis, sive ut non absolute futura. Accedit, quod meritum non reperitur in actu, quo Deus vult objectum; alioqui magis diceretur Deus mereri apud se ipsum, quàm creatura apud Deum; sed reperitur in existentia ipsius objecti; existentia autem creaturæ est eadem in decreto intendente, & exequente; unde si habetur in primo, non potest de lege ordinaria mereri in secundo, & si in illo non habetur, non poterit exercere causalitatem meriti. De hoc tamen plenius suo loco.

Argues 3. Executio solum est in rebus externis exequendis, & non in actibus voluntatis; ergo post ordinem intentionis incipientem ab intentione finis, & desinentem in electione mediõrum remotiorum, non est admittendus novus ordo actuum incipiens exequi à medio remotiori, & desinens in ipso fine. Respondeo negando antecedens; nam duplex datur executio altera passiva externa, & actualis; altera activa interna; & veluti signata: prima reperitur in solis rebus externis; secunda verò in solis actibus voluntatis, quæ aliquo modo dicitur usus applicans potentiam exequentem.

Argues 4. Implicat dari decretum aliquod Dei 179. efficax liberum circa creaturam, quin efficiat in illa mutationem aliquam; siquidem in illo incipit Deus habere novum respectum ad creaturam; cum autem non possit dari de novo respectus inter duo extrema sine mutatione, saltem unius extremi, mutatio verò non possit dari ex parte Dei, debet saltem dari ex parte creaturæ; sed si primum decretum non esset exequens, non efficeret mutationem in creatura; siquidem hæc tunc maneret adhuc in statu possibilitatis ut antea; ergo &c. Respondeo ita implicare, si non efficiat mutationem physicam, aut moralem; proximam, aut remotam; proximam, si versetur immediatè circa ipsam creaturam independentem à novo actu Dei; remotam verò si versetur mediatè ratione alterius actus, quem imperet, & ita se haberet illud primum decretum; intenderet enim mediante alio actu Dei, & non per se immediatè applicare Omnipotentiam.

## SECTIO XI.

*Virum primus actus liber Voluntatis Divinae erga praedestinos sit intentio divina gloriae?*

180. **S**UPPONENDUM est, nullum actum necessarium Voluntatis divinae esse necessarium praerequisitum ad nostram praedestinationem. Probatur, quia Deus per huiusmodi actus amat se ipsum, suasque perfectiones intrinsecas, & juxta aliquos possibilis simpliciter affectu; sed nullus ex his actibus est per se requisitus ad praedestinationem: tum quia non assignabitur modus aliquis specialis, quo per se ad illam concurrat: tum etiam quia si per impossibile non darentur tales actus, adhuc posset dari nostra praedestinatio, cum in illa nulla reperiretur repugnantia; ergo &c.
181. Dices: Requiritur per se Scientia simplicis Intelligentiae necessaria; ergo etiam amor necessarius ei correspondens. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia actus scientiae inservit praedestinationi, quatenus proponit objecta voluntati, sine quo voluntas operari non potest: at verò actus amoris necessarius ad nihil ei inservit, sed tantum per accidens se habet, ut patet ex dictis. Neque obstat, quod ipsa scientia sit actus necessarius; siquidem voluntas ad suos actus liberos non requirit necessarium scientiam liberam; alioqui cum Scientia non sit libera, nisi quatenus supponitur actum liberum voluntatis, sequeretur, quod supponeretur ad se ipsam, saltem mediate, quatenus supponeretur ad Scientiam, & ipsam Scientiam supponeret ad se ipsam.
182. Dubium est: Utrum gloria divina fuerit primum motivum, quod Deus habuit, ut nos praedestinaret; seu fuerit finis nostrae praedestinationis? Dico 1. Talis non fuit per se, & necessarium. Probatur, quia cum nihil sit in nostra praedestinatione, quod Deum necessitet ad talem actum, bene potuit Deus simpliciter, & absolute nos praedestinare, quin eliceret eam liberam intentionem suae gloriae; sed non ita posset, si ipsa intentio per se, & necessarium requireretur ad praedestinationem; ergo &c.
183. Dices: Ex nostra praedestinatione semper sequeretur divina gloria; ergo &c. Respondeo ita sequi, sed praeter intentionem, & veluti per accidens quantum ad rationem formalem praedestinationis: nam si per possibile, aut impossibile non sequeretur, adhuc eodem modo posset dari nostra praedestinatio quantum est ex se. Patet à simili, quia etiam calor sequitur necessarium ex creatione Solis; & tamen Deus poterat creare Solem ex sola intentione lucis non attendendo ad calorem; sicque emanatio ipsius caloris esset veluti per accidens ad eam intentionem creationis Solis, & non per se, & necessarium requisita ad illum: unde similiter de intentione divina gloriae respectu nostrae praedestinationis.
184. Dico 2. De facto primus actus liber Dei in nostra praedestinatione fuit intentio gloriae divinae. Ita P. Valent. 1. p. d. 1. q. 23. pun. 3. §. Sed superest. & pun. 4. §. Quinto certum est, & alii. Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 5. ibi: *Qui praedestinavit nos: ... in laudem gloriae gratiae suae.* Et Isai 43. 7. *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.* Et ex Trid. sess. 6. cap. 7. ibi: *Huius justificationis causa sunt finalis gloria Dei; ergo &c.*

Probatur secundò, quia Deus, cum ex omnibus ejus operibus gloria ei resulet, & eam in illis intendat manifestare, omnia propter illam, & semetipsum operatur, ita ut ipse sit finis cui & illius gloria sit finis cuius juxta illud Proverb. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; sed praedestinatio est unum, & praecipuum ex illius operibus; ergo in illa primò intendit Deus suam gloriam.*

Oppones 1. Prius intenditur causa, quam effectus; sed nostra praedestinatio est causa gloriae accidentalis in Deo; siquidem haec ex illa resultat; ergo Deus prius intendit nostram praedestinationem, quam suam gloriam. Respondeo ad minorem, nostram praedestinationem esse tantum medium, seu instrumentum efficiens ad habendam divinam gloriam; ipsam verò gloriam divinam esse ejus finem, utpotè quae habetur per praedestinationem, & non ex illa; cum autem finis intendatur prius, quam eligantur, & applicentur media, ideò prior est intentio divinae gloriae, quam decretum nostrae praedestinationis.

Oppones 2. Si Deus prius intenderet suam gloriam ut finem ultimum nostrae praedestinationis, sequeretur amare nos, non amore amicitiae, sed concupiscentiae; siquidem referret nostram Beatitudinem in suum commodum, qualis est divina gloria, in quo consistit amor concupiscentiae; sed id non est admittendum; Deus enim amat nos amore amicitiae, ideòque D. Thom. 2. secundae q. 132. art. 1. *Deus, ait, gloriam suam non querit propter se, sed propter nos;* ergo prius intendit nostram Beatitudinem, quam suam gloriam. Respondeo negando sequelam; nam Deus amando nos propter se, & ad se nos ordinando, nobis communicat se ipsum summum bonum, commodum, & utilitatem, ideòque nos amat verà amicitia, quod voluit D. Thom. quando dixit, Deum non querere suam gloriam propter se, sed propter nos, id est, querit nostram, & non suam utilitatem, cum Deus in se, & ex se habeat totam utilitatem, & quidquid boni est, aut esse potest, solumque in sua gloria nostrae utilitati consulat. Et si ei accrescit illa major gloria accidentalis, quam non haberet, si non esset nostra praedestinatio, inde etiam stat nostra utilitas praesupposita in medio assumpto ad ipsam gloriam, qualis est nostra praedestinatio.

Oppones 3. Finis ultimus debet excedere omnes alios, qui sunt propter illum; sed non ita excedit gloria illa accidentalis Dei resultans ex nostra praedestinatione; siquidem est minus perfecta, quam unio hypostatica, quae ad illam ordinatur; ergo illa non est finis ultimus in serie praedestinationis. Respondeo majorem esse veram de solo fine ultimo cui, & non de fine cuius, qui saepe est inferior. Patet in rebus creatis, & earum usu, illae enim sunt praestantiores ipso suo usu, & tamen ad illum ordinantur ut ad finem ultimum cuius, quarum finis ultimus cui est homo illis utens, & illis perfectior, quod sufficit, ut verè dicatur, quod semper minus perfecta ordinantur ad perfectiora: cum autem Deus sit finis cui, & ejus gloria sit finis cuius, bene potest ad eam ordinari unio Hypostatica, licet in se sit nobilior.

Difficultas est: Utrum Deus prius decreverit creare naturam rationalem, quam eam glorificare? Negativè. Ita P. Soar. lib. 1. de praedest. cap. 6. num. 12. P. Vasq. 1. p. d. 82. cap. 5. n. 18. & alii. Probatur primò, quia eodem signo, quo creatura rationalis ordinatur ad esse, ordinatur ad illud propter suum finem primarium; siquidem ordinatur à per-

à perfectissimo agente intellectuali, qui solum operatur ex fine primario perfectissimo; sed finis primarius supernaturalis creaturæ rationalis est ejus glorificatio; ergo eodem signo, quo Deus eam ordinavit ad esse, ordinavit etiam illam ad ipsum esse propter suam glorificationem; consequenterque non prius habuit decretum de illius creatione, quam de illius glorificatione.

190. Probatur secundò, quia Deus non aliter voluit fieri hominem, nisi ad eum finem, ut gloriam consequeretur; nec aliter voluit fieri gloriam, nisi ut ab homine possideretur; cum gloria sit finis *cujus*, seu perfectio hominis, & homo sit finis *cui*, seu subiectum ipsius gloriæ; ergo neque prius decrevit producere hominem, quam gloriam; neque prius gloriam, quam hominem, sed eodem signo utriusque existentiam decrevit, ita tamen ut voluntas circa hominem fuerit efficax; simplex autem & inefficax circa gloriam, prout infra dicemus. Confirmatur, quia eodem signo, quo Christus Dominus fuit ordinatus ad esse, fuit etiam ordinatus ad tale esse, nempe ad esse Filii Dei naturalis; ergo etiam eodem signo, quo homo fuit ordinatus ad esse, fuit ordinatus ad tale esse, nempe possessoris Dei.

191. Argues 1. Primum decretum glorificandi naturam rationalem fuit inefficax; alioqui omnia illius individua consequerentur gloriam; sed decretum inefficax nõ involvit existentiam rei; ergo &c. Resp. decretum illud fuisse inefficax ex parte creatorum, quatenus non acceptarunt, quod Deus illis tribuit dependenter à libera earum voluntate; fuisse tamen efficax ex parte Dei; siquidem per illud obligavit se Deus præbere omnia necessaria ad salutem, quæ ab eo tantum dependerent, quorum cum primum sit earum existentia, quam ab ipso solo Deo habent per creationem, idè hæc in illo decreto fuit à Deo efficaciter intenta, licet non ita fuerit intenta omnibus salus, quam Deus in illo decreto dependenter ab earum libera voluntate decrevit, idèque inefficaciter, ut infra dicemus.

192. Argues 2. Deus prius decrevit naturam rationalem ex illius fine naturali, & postea illam ordinavit ad supernaturalem; neque enim repugnat rem intendere ob unum finem, & postea ad alium ordinare; sed in eo primo decreto non potuit non decernere ejus existentiam, utpote sine quâ non posset consequi ipsum finem naturalem; ergo prius hanc, quam ejus glorificationem decrevit. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus esse veram de fine secundario, non autem primario; esset enim aliquis inordinatio in Deo non admittenda intendere prius finem secundarium, omisso primario, dato quod ad illum res erat ordinanda: cum autem glorificatio sit finis primarius creaturæ rationalis, ad quem illa erat ordinanda, ob illam fuit à Deo primariò intenta. Accedit, quod ipse finis primarius, nempe Beatitude supernaturalis substituit loco finis naturalis creaturæ rationalis, idèque hæc propter illam fuit primariò intenta.

193. Argues 3. Deus primariò intendit suam gloriam ex creatione naturæ rationalis, ut patet ex supra dictis; sed non potuit sic intendere, quin involveret ejus existentiam, sine qua ipsa creatura est nihil; ex nihilo autem nulla est Deo glorificatio; ergo &c. Respondeo illam gloriam fuisse quidem à Deo intentam, non tamen ex nuda creatione, sed ex hac & ex glorificatione ipsius creaturæ, quæ sunt simul, licet illa gloriæ divinæ intentio sit prior,

Tom. 1.

quatenus est de gloria divina habenda per hominem glorificatum.

194. Argues 4. Si Deus ex intentione glorificandi Petrum v. g. decerneret ejus existentiam; sequeretur hanc esse effectum prædestinationis; siquidem nihil aliud est esse effectum prædestinationis, quam procedere ex illius intentione; sed existentia, cum sit res naturalis, non potest esse effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo negando sequelam: tum quia illa intentio non est prædestinatio, sed simplex affectio generalis eam antecedens, ut infra dicemus: tum etiam, quia si esset effectus, esset intenta post glorificationem, cum tamen ita non sit, sed simul, ut supra diximus.

195. Argues 5. Quod est prius in executione, fuit posterius in intentione; sed existentia naturæ rationalis est prior in executione, glorificatio autem illius est posterior; ergo hæc in intentione fuit prior, illa verò posterior; consequenterque non fuerunt simul intentæ in eodem signo. Respondeo majorem esse veram inter finem & media, quæ illum non componunt intrinsecè, sed sunt tantum causæ extrinsecæ efficientes illius consecutionem: non ita tamen inter subiectum, & finem formalem, ex quibus simul componitur intrinsecè finis totalis: talis autem est persona prædestinata, & gloria, ad quam prædestinatur; hæc enim est finis *cujus*, & illa finis *cui*: unde licet in tempore prius producat personam, quam gloriam, non idè prius amatur in æternitate gloria, quam persona, cum ametur tali personæ; neque enim amatur gloria in abstracto, sed in concreto, id est alicui personæ, cujus est forma; cum nullus possit amari, ut sit Beatus, quin etiam ametur, ut sit, sive ut existat, sicque eodem signo, & per eandem voluntatem.

196. Argues 6. Intentio de glorificanda natura rationali respicit ejus operationes, quales sunt visio, & amor, à quibus glorificatur; sed non potest illas ita respicere, quin præsupponat existens ipsum subiectum operans; ergo &c. Respondeo ad minorem non posse ita respicere in executione facta in tempore extra causas: posse tamen in intentione habitam in mente supremi artificis, qui potest per modum unius finis totalis intendere simul ipsam naturam, & gloriam habendam, seu conjunctum ex natura, & gloria.

197. Argues 7. Prioritas, quæ reperitur inter objecta, reperitur etiam inter actus divinos quoad nos; sed in natura glorificata prior est ipsa natura ut causa materialis, quam gloria, quæ est illius forma; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, quando prioritas illa ex objectis refunditur etiam in actus ob aliquam specialem rationem, ut refunditur ex fine & mediis; ac ex meritis, & præmio: nam cum finis non moveat, nisi ut amatus; neque media proficiant ad finem, nisi ut electa, idè sicut finis est prior, & causa mediolorum, ita intentio finis est prior, & veluti principium electionis mediolorum; idemque similiter de merito, & præmio: at verò cum non ita se res habeat in causis physicis realibus respectu effectuum; neque in materialibus respectu formarum, idè necesse non est, quod prius intendatur, sed possunt simul amari, & intendi.

## SECTIO XII.

*Virum in Deo præcesserit voluntas simplex salvandi omnes ante intentionem efficacem dandi gloriam electis?*

198.

**D**IFFICULTAS I. Utrum in Deo fuerit huiusmodi voluntas antecedens salvandi omnes? Affirmativè. Ita P. Soar. de Prædest. lib. 4. cap. 1. num. 2. cum D. Chrysof. Theophylact. D. Amb. D. Athan. D. Hieron. D. Prosper. & D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. & 3. contr. gent. cap. 159. Durand. in 1. dist. 47. q. 1. P. Vasq. 1. p. d. 83. cap. 2. n. 7. P. Mol. 1. p. q. 19. a. 6. & in Concord. q. 14. art. 13. d. 10. & d. 23. memb. 2. P. Less. de Auxil. sect. 6. Assert. 1. P. Sal. tom. 2. in 1. 2. tract. 11. d. 2. sect. 3. P. Arrub. d. 50. cap. 2. quos citat, & sequitur P. Herice d. 23. tract. 3. cap. 11. P. Ruiz 1. p. d. 19. de Volunt. Dei sect. 1. & sequent. P. Martin. d. 11. sect. 3. n. 26. P. Amicus de prædest. d. 16. sect. 1. n. 11. P. Arriaga 1. p. d. 25. sect. 3. subsect. 3. num. 31. & alii.

199.

Probatur primò ab Scriptura 1. ad Timoth. 2. ibi: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ubi verbum omnes pro omnibus, & singulis, sive bonis, sive malis accipiendum est: alioqui si pro aliquibus, ita etiam acciperetur aliis in locis, in quibus Apostolus dicit, omnes in Adamo peccasse, ut ad Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*: & Christum Dominum pro omnibus mortuum esse, ut 1. ad Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; sed hoc repugnat fidei; nam de peccato definitum est à Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali in omne genus humanum fuisse transfusum; & de Redemptione definitum est ab Innocent. X. in Bulla. *Cum occasione*, & ab Alexand. VII. in Bulla *Ad Sanctam*, contra Jansenium in quinta illius propositione, Christum Dominum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & sanguinem fudisse; ergo &c.

200.

Probatur secundò ex eadem Scriptura Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mee est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? Et infra: quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini, & vivite*. Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat, convertimini, convertimini, & quare moriemini? Et Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluitis*. Et cap. 18. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis*. Et 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineteis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore*. Et 2. Petr. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti*. Et 1. Tim. 4. *Qui est salvator omnium, & maxime fidelium*. Et Rom. 1. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit: tu autem secundum duritiam tuam, & impunitens cor tuum thesaurizas tibi iram*. Et Isai. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis*. Et Sap. 11. *Disimulans peccata hominum propter penitentiam*. Et Job. 24. *Dedit ei locum penitentiae, & ipse abutitur ad superbiam*. Et Apoc. 2. *Dedi illi tempus, ut penitentiam ageret,*

& non vult penitere: ex quibus, & aliis pluribus Scripturæ locis aperte constat esse in Deo hanc voluntatem, qua vult omnium hominum salutem, etiam infidelium, & obstinatorum; ergo &c.

Probatur tertio ex Sanctis Patribus D. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. *Si aliquis ipse non participat, hoc non infirmitatis, aut parvitatis est illuminativa ipsius distributionis; sed non existentium ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem*. Et cap. 9. de celest. Hierarch. *Immensum, ait, & infinitum divini luminis pelagus semper paratum est, & pater omnibus ad participandum*. Et D. Chrysof. hom. 7. in Joan. ad illa verba: *Illuminat omnem hominem, &c.* Et cap. 2. gen. hom. 11. fine. Et in Joan. 17. hom. 80. & rom. 3. hom. 9. de laudib. D. Paul. sine: *Ipsè quidem, ait, vult omnes salvos fieri: at non omnium voluntas ejus voluntati obsequitur: neque ab eo aliquis cogitur*. Deum enim paratus est ad salvandum hominem, non involuntarium, neque non volentem. Et D. Cyril. Alexand. lib. 11. in Joan. cap. 21. in medium: *Christus, ait, quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem (nempe Judam) nisi ultro ipse in perditionem insilisset*. Gratia igitur in aliis effulsit, servavitq; omnes, qui cooperantur ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostræ modus dispositus est. Et D. Greg. Nissen. de orat. Dominica, ad illa verba: *Fiat voluntas tua: voluntas Dei, ait, salus hominum est*. Et D. Amb. lib. de Paradiso cap. 8. ante medium. *Nec Judæos, ait, omnes credituros sciebat; & tamen ait: Non veni, nisi ad oves perditas domus Israël. Ergo non in mandante culpæ est, sed in prævaricante peccatum est. Et quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes vult liberare*. Idem habent D. Paulin. epist. 1. ad Aprum. D. Ansel. lib. de volunt. Dei. D. Damascen. adversus Manicheos, & lib. 2. Fidei cap. 29. D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 3. q. 1. D. Hieron. Malach. 1. D. Bern. serm. 5. de Nativit. Domin. D. Irenæus, lib. 4. advers. heres. cap. 71. D. August. lib. 3. Confession. cap. 2. & in psal. 108. & alii.

Probatur quartò rationibus: Prima, quia Deus de facto omnes creaturas rationales ordinavit ad Beatitudinem supernaturalem; alioqui si aliquos non ita ordinaret, cum illæ de se non essent ad eam ordinatæ, manerent in statu puræ naturæ, sicque non contraherent peccatum originale, cum hoc solum contrahatur ab illis, quibus debita erat justitia originalis; hæc autem illis prout sic non deberetur: neque essent redemptæ à Christo Domino, utpotè qui solum redemit nos à privatione gratiæ & gloriæ resultante ex peccato Adami, quod non contraherent: neque essent capaces Sacramentorum, & fructus passionis Christi Domini, cum hæc solum sint media ad finem supernaturalem consequendum; solum autem sint capaces mediolorum, quæ capaces sunt finis, ad quem ordinantur ipsa media; sed Deus non potuit sic illas ordinare ad talem Beatitudinem, nisi habuisset voluntatem salvandi illas; implicat enim quod Deus ordinet aliquem ad finem aliquem, & nolit, saltem inefficaciter, consecutionem ipsius finis; ergo &c.

Secunda, quia eodem signo facta fuit electio efficax prædestinatorum ad gloriam, atque non electio reproborum; siquidem illa fuit electio eorum præ aliis; sed non electio supponit voluntatem universalem inefficacem salvandi, tam reprobos; alioqui prius essent exclusi, saltem negativè à regno, quàm ad illud admitti aliquo modo, haberentque ad id media sufficientia, quod non est dicendum: quàm prædestinatos; alioqui jam Deus prius esset affectus, licet inefficaciter circa reprobos,

hos, quàm circa electos, quatenus prius circa illos haberet eam voluntatem universalem; ergo &c. Confirmatur, quia applicatio redemptionis, aut supponit, aut involvit voluntatem, saltem inefficacem salvandi; sed Christus Dominus pro omnibus applicavit Redemptionem ex beneplacito Patris; ergo aut supposuit, aut involvit voluntatem, saltem inefficacem salvandi omnes pro primo signo, licet in secundo signo voluntate efficaci iterum eam applicarit pro electis.

204. Tertia, quia Deus absolute vult omnium merita finalia, ut patet ex illo Ezech. 18. aliisque Scripturæ locis, de quibus supra n. 200. sed positus ipsis meritis vult Deus eorum salutem, ut est de fide; ergo absolute vult omnium salutem; nam qui appetit aliquid sub aliqua conditione, & ipsam conditionem appetit, illud absolute appetit. Patet in Materia prima, quæ licet appetat formam sub conditione dispositionum, cum etiam ipsas dispositiones appetat, absolute appetit ipsam formam.

205. Oppositum tenent *Alexand. 1. p. p. 36. D. Bonnav. in 1. dist. 46. art. 1. q. 1. Scot. q. unica ad 1. Major. q. unica. Marsl. in 1. quest. 45. art. 1. Dried. de concord. liber. arbitr. & prædest. 1. part. cap. 4. ad 2. Caiet. in locum. D. Pauli. cit. & alii*; pro quibus Objicies 1. D. August. aliquando coarctat illud D. Paul. 1. Tim. 2. ita ut intelligatur, aut per distributionem accommodam, id est de omnibus, qui salvantur; efficiatque hunc sensum: *Nullus salvabitur, nisi quem Deus salvari voluerit*: aut per distributionem incompletam, id est pro generibus singulorum, quatenus ex omni genere, seu statu hominum velit Deus aliquos, non tamen omnes salvos fieri, ut colligitur ex *lib. de prædest. Sanctior. cap. 8. lib. de corrept. & grat. cap. 14. & 15. in Enchirid. cap. 103. ergo &c.*

206. Respondeo D. Aug. ut ait *P. Arriaga cit. n. 33.* retractasse postea hanc opinionem, si forte eam habuit, de quo dubitatur, & veram, ac communem tenuisse; siquidem aliis in locis admittit in Deo alias voluntates inefficaces, quorum objecta non fiunt; ait enim *lib. 3. de libero arbitr. cap. 19.* peccatorem contemnere Deum volentem eum sonare, *Et lib. de Spirit. & litter. cap. 33.* ait, infideles facere contra Dei voluntatem non credentes Evangelio, sicque non debuit D. August. hanc eam voluntatem Dei inefficacem negare salvandi omnes, quando fati ab Apostolo declaratur, dum dicit, quod sicut Deus est unus omnium Deus; & Christus Dominus pro omnibus mortuus est, ita etiam vult omnes salvos fieri; sed Deus omnium, etiam reproborum est Deus unus; & Christus Dominus etiam pro illis mortuus est; & pro omnibus orandum, ut salutem assequantur, ut concludit Apostolus, & est usus Ecclesiæ; ergo Deus vult omnes, etiam reprobos salvos fieri. Aliter respondet *Lezana* dicens D. August. locis cit. fortasse locutum fuisse de voluntate efficaci, & absoluta Dei, quæ non est universaliter respectu omnium, sed in completè respectu omnium tantum, qui sunt prædestinati.

207. Objicies 2. Voluntas Dei debet impleri, ut patet ex illo psal. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et Sap. 12. *Subest illi, cum voluerit, posse*; & sæpè alibi sed voluntas illa circa reprobos non impletur; ergo non datur in Deo. Respondeo hæc, & similia loca intelligenda esse de voluntate Dei efficaci, non autem inefficaci, qualis est illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Addo si intelligenda sint de voluntate inefficaci, dicendum esse, illam

Tom. 1.

impleri quoad unam partem, nempe quoad peccatam in reprobis; siquidem Deus per illam vult salutem omnium, aut damnationem, si per illos stet, quod non salventur, & quoad hanc partem semper impletur, ut ex D. Aug. explicat *P. Quiroz.*

208. Objicies 3. Implicat quod Deus velit aliquibus gloriam, & per ipsum præcisè stet, quominus illi gloriam non assequantur; sed per Deum stat, quod aliqui non assequantur gloriam, quales sunt infantes, qui in utero materno moriuntur; aut inter gentiles ante usum rationis sine baptismo; aut amentes à natura, & omnes alii, ad quos nulla notitia, neque confusa legis Evangelicæ per venit; ergo saltem respectu horum non habet Deus eam voluntatem, Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicimus Deum omnibus præparasse auxilia sufficientia ad salutem, saltem in causis universalibus, nempe in meritis Christi Domini, in applicatione Sacramentorum, in illuminatione interna, si sint adulti juxta illud *Joan. 1. 9. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: cum autem hæc data sint ex vi illius voluntatis conditionatè tantum, nisi per illos stet, aut per concurrunt causarum secundarum naturalium, & sæpius causæ naturales ea impediunt, nolente Deo illis resistere, idèd aliqui carent aliquo modo ipsis mediis, non defectu Dei, sed propter concursum causarum secundarum.

209. Respondet *P. Vasq.* cum aliis, Deum ex se noluisse gloriam aliquibus infantibus, idèdque eis negasse media sufficientia ad salutem; siquidem si hanc eis vellet, aliter disponderet causas secundas, nè impedirent baptismum; sicque de solis adultis explicat citatum locum D. Pauli 1. Tim. 2. motus verbis illis ejusdem Apostoli cit. loco: *Et ad agnitionem veritatis venire*: nam ad talem agnitionem soli adulti, non autem infantes illi possunt devenire.

210. Non placet primò, quia Apostolus ibi intendit, ut fiat oratio pro omnibus hominibus, quæ etiam pro infantibus in utero existentibus faciendâ est, neque securum est eos ab orationibus Ecclesiæ excludere. Secundò, quia propositiones universales Scripturæ non sunt limitandæ sine urgenti causa; hæc autem nulla datur; nam si Deus potuit, & noluit impedire causas naturales, idèd id fecit, quia ita postulabat earum exigentia, cum quo adhuc stare poterat, quod Deus inefficaciter optaret infantium salutem, eique despiceret, ac doleat, quod auxilia ab illis impedirentur. Undè non bene exponitur citatus locus D. Pauli de solis adultis; aliter neque de infantibus, qui salvantur, neque de illis, quibus poterat, & de factò non fuit applicatum remedium loqueretur; siquidem etiam non poterant ad agnitionem veritatis venire, quod neque ipse *P. Vasq.* admittit: sicque verba illa: *Ad agnitionem veritatis venire*: intelligit *P. Arriaga*, non de actuali, sed de habituali, quæ etiam reperitur in infantibus, cum habeant potentias intellectuales.

211. Objicies 4. Deus ante prævisa demerita habet voluntatem positivam damnandi homines, si in peccato mortali moriantur; ergo nihil habet speciale circa eorum salutem; alioqui haberet voluntatem suæ voluntati contrariam. Respondeo negando consequentiam; nam Deus quantum est ex se vult hominum salutem complacendo in illa, & eam desiderando, procurandoque quod apponatur conditio, & media exercentur, ut acquiratur ipsa salus: at verò damnationem non vult quantum est ex se, neque exoptat, neque curat, quod

C c 2

con

conditio, siue peccata apponantur, imò oppositum desiderat, nè scilicet sint peccata, in eisq̄ maximè displicet, in quo est magna diversitas.

212. Objicies 5. Intendere serid finem, & illum non obtinere, est magna imbecillitas; nam si quis amat serid, & non obtinet, non potest obtinere; si autem potest, & non obtinet, non amat serid; sed id accideret in Deo, si haberet voluntatem salvandi omnes, essetq̄ in eo voluntas imperfecta; ergo &c. Respondeo voluntatem inefficacem, quam haberet Deus, non esse imbecillitatem, quando intendens potest, si velit, habere efficacem, & media efficaciam adhibere, ut acquiratur finis intentus, & non ita habet, neque adhibet ob altissimas causas nobis ignotas, quo pacto se habet Deus in illa voluntate; amat enim serid, sed non efficaciter, neque media efficaciam adhibet, cum tamen possit.

213. Advertes P. Soar. hinc lib. 1. cap. 18. num. 14. non admittere hanc voluntatem inefficacem erga prædestinatos, sed solam efficacem, & hanc significari verbis Apostoli, nempe Deum velle omnes salvare, reprobos quidem inefficaciter, prædestinatos autem efficaciter. Non placet, ut patet ex supra dictis in probationibus, & quia Apostolus voluit ostendere Bonitatem divinam esse in ea prima voluntate universalem, & omnibus æqualem, idèdque attulit Unitatem Dei, & Redemptionem Christi Domini, quæ sunt omnibus æqualiter universales; non autem sic ostenderet, si significaret ipsam voluntatem esse aliis efficacem, aliis verò inefficacem.

214. Dices: Nulla ratio suadet, voluntatem illam inefficacem fuisse priorem voluntate efficaci dandi gloriam prædestinatis; siquidem neque erat ejus causa; neque continebat motivum illius, cum Deus non elegerit efficaciter prædestinatos, quia prius voluit eis gloriam inefficaciter: deinde effectus procedentes ab ipsa voluntate inefficaci, æquè procederent à solâ efficaci; ergo non est dicendum fuisse priorem. Respondeo negando antecedens; ratio est, quia illa prima voluntas est universalis tendens ad omnes, & singulos gradus gloriæ per omnia & singula media de lege ordinaria possibilia, quos omnes Deus intendit, quantum est ex se, dare omnibus & singulis creaturis rationalibus, si illæ ex sua parte ad eos disponantur: at verò ista secunda voluntas est particularis tendens ad certos, & determinatos gradus per certam, & determinatam media; cum autem universale semper sit prius particulari, idèd prior erit illa, quam hæc voluntas. Accedit, quod voluntas inefficax est veluti conditionata; voluntas verò efficax est absoluta; semper autem conditionatum est prius absoluto.

215. Urgebis: si daretur voluntas illa universalis, sequeretur: Primò res naturales fuisse productas ex vi illius; consequenterq̄ non propter electos, quod contradicit Scripturæ: Secundò circa electos dari duas voluntates efficaces, alteram universalem dandi eis gloriam indeterminatè; & alteram particularem dandi singulis ipsam gloriam in tali gradu. Tertio, gratiam datam primis Parentibus in statu innocentiae fuisse effectum illius primæ voluntatis universalis, & prædestinationis; sequentem autem sunt falsæ; ergo &c. Respondeo ad primam, res naturales non fuisse primò propter electos, ad illos tamen fuisse postea ordinatas, quod satis est, ut dicantur fuisse propter illos. Ad secundam dicimus, nullam dari rationem, ut admittamus duas illas efficaces voluntates, dari tamen ut unam inefficacem, & alteram efficacem admittamus,

ut patet ex dictis. Ad tertiam dicimus primam gratiam datam non fuisse primò primis parentibus ex vi voluntatis prædestinantis; fuisse tamen postea ex vi illius recuperatam, & conservatam, quod non repugnat.

Difficultas 2. Utrum hujusmodi voluntas universalis antecedens dandi gloriam fuerit signi, an beneplaciti? Advertes, voluntatem signi esse tantum voluntatem metaphoricè & non propriam; siquidem significatur verbis, quæ supponunt eam esse in Deo, cum tamen non sit, per illamque ita se gerit Deus externè, ac si rem vellet, cum tamen internè non velit: voluntatem autem beneplaciti esse actum proprium internum in Deo, imò & ipse Deus. Hoc posito.

Prima sententia asserit, voluntatem antecedentem esse voluntatem signi comparativè ad salutem reproborum; esse tamen voluntatem beneplaciti comparativè ad media, quæ Deus re ipsa confert, ut possint salutem obtinere. Ita Scot. in 1. dist. 46. q. unica. Major. dist. 45. q. unica, & dist. 46. q. unica. Marsil. q. 45. a. 1. Ocham. & Gabr. dist. 46. q. 1. Harvæus q. 2. Cajet. in 1. Tim. 2. Driedo de concordia liber. arbitr. p. 1. cap. 4. ad 2. Zúnel in præfemi q. 19. a. 6. q. 2. conclus. 4. Alvarez d. 33. in 4. expositione, & ad 1. & 3. & d. 34. concl. 4. & d. 109. & 113. & alii.

Secunda sententia, quam sequimur, tenet hujusmodi voluntatem antecedentem in Deo esse voluntatem beneplaciti propriam, & realem. Ita, D. Thom. hic a. 6. ad 1. Albert. 1. p. q. 79. membr. 2. a. 2. Alexand. 1. p. q. 36. memb. 2. D. Bonavent. in 1. dist. 46. a. 1. q. 1. & d. 47. a. 1. q. 1. Richard. in 1. dist. 46. a. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 47. q. 3. Carthusian. in 1. dist. 46. q. 1. Corduba lib. 1. quest. 9. 56. P. Vasq. 1. p. d. 83. cap. 2. n. 7. P. Herice tr. 3. d. 23. cap. 11. n. 132. P. Ruiz de Volunt. Dei, d. 19. sect. 10. n. 4. P. Soar. hinc lib. 4. cap. 2. n. 2. & alii. Probat primò, quia verba Scripturæ, quando materia, aut circumstantia litteræ non cogunt ad metaphoram, & inde non sequitur aliquod inconveniens, sunt in omni proprietate intelligenda; sed neque materia, neque litteræ circumstantia nos cogunt ad metaphoram, neque inde sequitur aliquod inconveniens; ergo intelligenda sunt in omni proprietate; præsertim cum ita verba D. Pauli citata intelligant D. Chrysol. hom. 7. ad 1. Tim. 2. & hom. 1. ad Ephes. D. Damascen. lib. 2. de Fide, cap. 29. & 30. & alii supra.

Probat secundò, quia Deus voluntate beneplaciti paravit omnibus auxilia sufficientia; ergo eadem voluntate optavit omnibus salutem: nam cum media eligantur propter finem, & illa eligantur propria voluntate, etiam propria voluntate debet intendi finis. Confirmatur primò, quia non minùs complacet Deus in salute, quam displicet in peccato; sed hujusmodi displicentia est actus internus Dei verus, & formalis; ergo etiam talis erit illa complacentia. Secundò, quia Deus non displicet in salute hominum, ut per se patet: neque circa illam potest se habere purè negativè per suspensionem actûs; ergo positivè per voluntatem beneplaciti.

Probat tertio, quia voluntas salvandi antecedens in Deo est primaria, beneplacens, lætificans, vehementer Dei concupiscentia, & desiderium flagrans; voluntas autem consequens puniendi in Deo est secundaria, habens admixtam displicentiam, tarda, & quasi coacta; sed hæc est formaliter, propriè, & simpliciter in Deo; ergo à fortiori sic erit formaliter, propriè, & simpliciter illa.

Proba-

227. Probatur quartò, quia affectus, qui habet efficaciam, quantum est ex se, non est metaphoricus, & impropius; sed voluntas antecedens salvandi in Deo est efficax quantum est ex parte Dei; siquidem Deus quantum est ex se vult efficaciter omnes homines salvos fieri; ergo talis voluntas non est metaphorica, & impropria, sed propria & formalis in Deo. Confirmatur, quia si talis voluntas circa salutem reprobatorum solum esset metaphorica, & impropria, sequeretur, aut omninò, aut maxima ex parte debilitari rationem, quæ præsciti tenentur Deo gratias agere, aliisque piis operibus gratitudinem ostendere pro infinità Dei benignitate, & Misericordia, qua Deus quantum est ex se optavit, & procuravit eorum salutem; Deumque non posse illis exprobrare ingratitudinem tantè erga eos beneficii, si solum metaphoricè, & non propriè fuit eis collatum; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c.

228. Probatur quintò, quia si voluntas antecedens salvandi in Deo non esset propria, sed metaphorica, sequeretur in Oratione Dominica, quam Dominus docuit faciendam petere in omnibus, etiam præscitis voluntatem suam, hos petere, ut sibi Deus denegeret opportunitatem, abundantiam illustrationum, & inspirationum, utque permitat eos rueri in peccata, obstinari, & damnari; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Probatur sequela, quia quando petunt, ut fiat in eis voluntas Dei, intelligenda sunt eorum verba de propria voluntate, & non metaphorica; ergo si voluntas antecedens salvandi illos est metaphorica, debet eorum verba, non ad istam voluntatem metaphoricam referri, sed ad illa remedia deneganda, permittenda peccata, & æternum supplicium inferendum, quorum omnium in Deo est propria, vera, & simpliciter voluntas; hoc autem non est dicendum; ergo &c.

229. Argues 1. Scriptura ait, Deum irasci, clamare, tangi penitentia, & dolore cordis intrinsicè, & similibus; & tamen huiusmodi voluntates in Deo non sunt propriæ, sed metaphoricæ, & signi; ergo idem dicendum de voluntate salvandi omnes. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illæ voluntates ex suo conceptu formali involvunt imperfectionem, saltem physicam, ut patet in hominibus, ideòque non possunt esse in Deo formaliter, sed tantum metaphoricè, ita ut Deus sic exterius se gerat, ac si interiorè illas haberet: at verò voluntas salvandi omnes nullam defert imperfectionem, imò maximam perfectionem, quatenus summam Dei benevolentiam in omnes, etiam præscitos ostendit, ideòque in eo est formaliter admittenda.

230. Argues 2. Nullus actus imperfectus est in Deo formaliter; sed talis voluntas, cum non sit habitura effectum, est quædam velleitas; hæc autem est actus imperfectus; ergo &c. Respondeo huiusmodi voluntatem ex parte subiecti, id est Dei, non esse velleitatem; siquidem Deus ex se perfectè vult omnes homines salvos fieri; licet solum sit velleitas ex parte objecti, nempe liberi hominis arbitrii, qui, cum possit, non cooperatur divinis vocationibus.

231. Argues 3. Voluntas illa est tantum conditionata; sed voluntas conditionata non datur in Deo actu, & formaliter, sed daretur, si poneretur conditio; ergo &c. Respondeo voluntatem illam non esse conditionatam ex parte subiecti, nempe Dei, utpotè qui absolute quantum est ex se elicit voluntatem salvandi omnes: esse tamen conditionatam ex parte objecti, nempe liberi arbitrii creati,

cui subordinatur in ordine ad effectum assequendum, & per quod stat, quod illum non assequatur.

226. Argues 4. Deus potest velle media efficacia ad salutem, quin velit efficaciter ipsam salutem; sic enim aliquando vult reprobis auxilia efficacia, per quæ assequuntur ipsam gratiam, quin velit eis efficaciter salutem; ergo etiam poterit absolute velle media ad finem, non intendendo prius ipsum finem. Respondeo primò negando antecedens; ad cuius probationem dicimus, Deum tribuere ea auxilia efficacia reprobis ex intentione suæ gloriæ, & gratiæ temporalis, quæ verè inde assequuntur; non autem ex intentione gloriæ eis dandæ, siquidem respectu illius non sunt efficacia, cum ipsa gloria per illa non acquiratur in re. De hoc tamen latius infra.

227. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia dato, quod Deus vult media, ut media, debet necessariò prius intendere finem; siquidem voluntas ex intentione finis movetur ad electionem mediorum; data autem ipsa intentione, bene potest voluntas excitari ad eligenda media efficaciora, præsertim quando Deus videt ea habitura ultimum finem, cum solum inferviant ad gratiam intermediam, non verò ad finalem assequendam: undè talia auxilia magis possunt dici efficacia in ordine ad hanc gratiam iterum amittendam, quam ad finalem, cum media efficacia ad salutem, & quæ propriè dicuntur effectus prædestinationis, sint illa tantum, quæ inferviant ad gratiam finalem consequendam.

228. Argues 5. Deus dat omnibus liberum arbitrium capax ad peccatum committendum, quin dicatur velle peccatum; ergo etiam dabit media sufficientia ad salutem, quin dicatur velle salutem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia liberum arbitrium, neque per se est ordinatum ad peccatum, neque à Deo datur ea intentione, ut creatura illo abutatur ad malum, imò potius utatur ad bonum: at verò media, & per se ordinantur ad salutem; aliter non essent ei proportionata; & Deus illa dat ea intentione, ut salus per illa acquiratur, ideòque cum vult media, etiam vult finem.

229. Difficultas 3. Utrum huiusmodi voluntas in Deo sit non solum beneplaciti, sed etiam per modum profectionis? Affirmativè. Ita P. Soar. hic lib. 4. cap. 2. n. 10. & alii. Probatur, quia illa dicitur voluntas per modum profectionis, quæ non solum habet complacentiam de objecto, sed etiam aliquo modo illud fieri desiderat, & intendit; atqui supra dicta Dei voluntas ita se habet; siquidem Deus per illam non solum complacet in salute omnium, sed ad illam assequendam applicat media sufficientia, nempe merita Christi Domini, Sacramenta, præcepta, consilia, auxilia, & similia; ergo &c.

### SECTIO XIII.

*Utrum voluntas efficax dandi gloriam sit ante absolutam præscientiam meritorum?*



230. DVERTES primò, quæstionem hanc, quæ quidem in hac materia est facile princeps, excitari posse inter Catholicorum, & desperatam Calvinistarum prædestinationem; hi enim cum suo Calvino lib. 3. instruit.

*institur. cap. 21. §. 5.* asserunt primò, Deum æterno suo decreto quosdam ad vitam æternam, quosdam autem ad mortem æternam prædestinasse nullo ipsorum merito, aut demerito, sed quia ita ipsi placuit. Secundò, hoc Dei decretum ita esse à Deo immutabile, ut tollat omnem nostri arbitrii libertatem in negotio salutis, & perditionis; sed quadam inevitabili necessitate, hos perire, illos autè salvari. Tertio, solis prædestinatis dari fidem in Christo, quam non possint amittere; reprobis autem negari omnem fidem, & gratiam. Quarto, solos prædestinatos esse in Ecclesia per fidem adscriptos; reprobos autem & à fide, & ab Ecclesia exclusos. Quintò, prædestinatorum peccata, licet gravia, non imputari; reprobos autem impelli, & necessitari ad peccandum, miserèquè decipi, & illudi, & ita illusos in æterna supplicia præcipitari. Hæc doctrina Ecclesiæ Calvinisticæ, quæ ad paucas propositiones revocat, & compendiosè refutat *P. Beccan. tom. 1. opuscul. in princip. & tom. 1. Sum. cap. 16.* ubi differentiam inter Calvinistas, & Pelagianos, atque Catholicos doctè confert.

231. Advertes secundò, præsentem difficultatem multipliciter excitari inter Catholicos: Alii enim quærent, utrum prædestinatio fuerit ante prævisa merita? Alii, utrum fuerit ex motivo Misericordiæ, an Justitiæ? Alii, utrum habuerit causam aliquam ex parte prædestinati? Alii, utrum illa voluntas efficax dandi gloriam fuerit antecedens, an consequens?

232. Advertes tertio, voluntatem antecedentem ex communiore acceptione esse illam, quam Deus habet à semet ipso independentè ab eo, quod ad illam moveatur ex nostris operibus bonis, aut malis: voluntatem verò consequentem esse illam, quam Deus habet dependentè à nostris operibus absolutè prævisis. Patet, quia termini *antecedens*, & *consequens*, sunt respectivi ad aliud; hoc autem aliud nihil potest melius esse, quàm nostra opera. Undè voluntas dandi, aut negandi primum auxilium dicitur antecedens, quia præcedit omne opus nostrum, & Deus ex se movetur ad illud dandum, aut negandum: voluntas autem dandi præmium, aut supplicium, dicitur voluntas consequens, quia est post nostrum meritum, aut demeritum absolutè prævisum, & Deus ex illis movetur ad dandum præmium, aut supplicium.

233. Advertes quarto, voluntatem efficacem esse duplicem, alteram absolutissimam, quæ ita tendit in objectum efficiendum, ut neque formaliter, neque virtualiter patiatur oppositum, sed ex se determinetur ad illud exequendum, auferendo quodcumque impedimentum, quin aliquo modo accommodetur libertati creatæ: alteram minùs absolutam, & rigorosam, quæ semper habet effectum, non tamen præcisè ex determinatione propria, sed dependentè à determinatione libertatis creatæ, quæ posita in tali, aut tali occasione infallibiliter operabitur, cum potestate tamen ad non operandum, ideoque saltem virtute permittit oppositum, licet illud non sit habitura. Illa prima voluntas non requirit Scientiam Conditionatam, cum inducat necessitatem causis liberis: hæc autem secunda illam supponit, cum relinquat ipsas causas in sua libertate.

234. Advertes quinto, voluntatem absolutam non coincidere cum voluntate efficaci; siquidem voluntas, qua Deus vult observationem suorum præceptorum est absoluta, & tamen est inefficax, quia plura non observantur: similiter voluntas, qua Deus vult damnationem reproborum, suppo-

sita conditione suorum demeritorum, est efficax; & tamen non est absoluta, sed conditionata.

Advertes sextò, voluntatem conditionatam etiam non coincidere cum voluntate inefficaci; siquidem voluntas illa damnationis reproborum est conditionata; & tamen est efficax: similiter voluntas, qua Deus vult apponi aliquas condiciones, ut habeantur objecta, nempe merita reproborum, ut consequantur gloriam, est inefficax; & tamen non est conditionata, sed absoluta. Advertes septimò, hic non esse sermonem de voluntate illa absolutissima, per quam Deus est paratus tollere omne impedimentum, ut habeatur effectus; siquidem hæc semper est efficax. Advertes octavò, his notatis, in triplici sensu posse præsentem quaestionem excitari: Primò, an sit possibilis talis electio, non supponendo Scientiam Mediam? Secundò, an sit possibilis, supponendo illam? Tertio, (de quo in sequenti Sectione,) an de facto data fuerit? Sit igitur.

Difficultas 1. Utrum possibilis sit electio efficax ad gloriam ante Scientiam Mediam, salva libertate creatæ? Negativè. Ita communiter Doctores nostræ Societatis JESU. *P. Arriaga hic d. 34. sect. 2. n. 13. P. Quiróz. hic d. 10. sect. 1. num. 1.* & alii apud ipsos, & à nobis infra citandi. Probat, quia omnis suppositio omninò antecedens, & quæ nullo modo est in potestate agentis liberi, ut ponatur, aut tollatur, & quæ posita non potest non operari, tollit ejus libertatem; siquidem non illud relinquit cum indifferentia ad operandum, vel non operandum, aut ad operandum oppositum, imò impedit omnem ejus resistantiam; sed ita se habet electio illa efficax ad gloriam ante Scientiam Mediam; siquidem non esset in potestate hominis, quod poneretur, aut tolleretur, cum antecederet omnem usum libertatis, & ejus etiam consensum conditionatum; deinde, cæ posita, non posset homo non salvari, etiam de potentia Dei absolutâ; ergo tolleretur omnem ejus libertatem ut salveretur, aut damnaretur; consequenterque necessitaret ad salutem.

Confirmatur primò, quia illud, quod necessariò sequitur ex alio, necessariò, simpliciter, & in se est necessarium; sic enim Filiatio divina simpliciter est necessaria, quia necessariò sequitur ex Paternitate necessaria; sed illa assecutio gloriæ sequitur necessariò ex electione simpliciter necessaria respectu prædestinati; ergo respectu illius esset simpliciter necessaria. Secundò, quia datâ illâ electione efficaci sine ulla dependentia à voluntate creatæ, non posset Deus habere decretum efficax concurrenti cum illa ad oppositum, aut suspendendi concursum productivum gloriæ; cum talia decreta contrariantur in Deo; & sicut in nobis peccatum est velle, nè impleatur voluntas Dei efficax; ita etiam in Deo esset defectus elicere illud secundum decretum contrarium primo, & illius impeditivum, sed absque tali decreto non datur libertas creatæ; siquidem non manet voluntas cum omnibus requisitis necessariis ad operandum liberè, cum eorum unum sit illud decretum; ergo &c.

Argues 1. Licet posita illâ electione non posset homo non assequi gloriam in sensu composito, posset tamen in sensu diviso ab ipsa electione: siquidem per illam non amisit potestatem ad elicienda opera ei contraria, quam adhuc conservat in ordine ad opera contraria, licet in sensu diviso ab ipsa electione efficaci faciendâ; ergo adhuc conservat suam libertatem. Resp. argumentum solum probare, prædestinatum habiturum potestatem ad imped-

diendam gloriam, dato quod electio illa auferretur; non tamen ad ponendum aliquid, quod eam impediret, quandiu duraret, sicque non manfurum absolutè liberum: aliter dicant hominem videntem Deum; aut Verbo unitum posse damnari, & ad id esse absolutè liberum; siquidem in sensu diviso à Visione beata, & ab Unione Hypostaticâ, posset liberè operari ad damnationem. Et ratio est, quia si non est in sua potestate tollere illam electionem, & illâ positâ, non potest non affectui gloriâ, quomodò pro tunc dici potest liber, & non potius necessitatus ad illam assequendam.

239. Argues 2. Quamvis suppositio illa esset antecedens respectu prædestinati, talis non esset respectu Dei; ergo absolutè non tolleretur libertatem. Respondeo non tollere libertatem divinam, maxime tamen creatam: nam si à voluntate creatâ tolleretur indifferentiam, quid ad eam referret, an à Deo eliceretur liberè, vel necessariò? hoc ei esset omninò per accidens. Patet à simili, ex eo, quod Deus liberè sibi univerit Humanitatem, mansit ne hæc, suppositâ unione Hypostaticâ, libera ad peccandum? Quis hoc dicet; ergo similiter in nostro eventu.

240. Argues 3. Ex illa electione adhuc orientur media libera: posset prædestinatus promereri salutem per hæc, aut illa merita: imò posset adhuc Deus dare ei gloriam, etiamsi moreretur in peccato; ergo absolutè non tolleretur libertas. Respondeo negando primam & secundam partem antecedentis: nam cum illa auxilia essent efficacia, & independentia à libero arbitrio, ejusque consensu conditionatè futuro, cum non supponerent Scientiam Mediam, determinarent voluntatem creatam: & dato quod adhuc voluntas esset indeterminata ad hæc, aut illa media, quod facillè potest admitti; siquidem positâ electione efficaci ad gloriam, non sequitur, quod Deus necessitetur ad danda hæc numero media; adhuc salus non esset homini libera, quia adhuc non posset damnari, sed necessariò salvaretur, & cum salus non posset acquiri sine mediis, necessitatus ad salutem, etiam necessitaretur ad electionem mediolorum; quod autem esset liber in his, aut illis eligendis, simpliciter & absolutè non sufficeret ad rationem meriti, ut alibi dicemus. Ad tertiam partem antecedentis dicimus, verum quidem esse, Deum posse absolutè salvare peccatorem, non tamen pro hoc statu, in quo habet decretum efficax damnandi peccatores; aliter dicamus posse pro hoc statu jam damnatos salvare, & damnare jam electos; siquidem de potentia absoluta potest illos educere ab inferno ad Cælum, & hos à Cælo ad infernum detrudere.

241. Argues 4. Electio illa solàm adducit necessitatem moralem, & relinquit libertatem physicam; sed hæc sufficit; ergo &c. Respondeo negando majorem: implicat enim quod in voluntate creatâ detur virtus aliqua, sive physica, sive moralis, per quam frustrari possit decretum Dei efficax independentens ab ejus consensu, qualis esset illa electio.

242. Difficultas 2. Utrum possibilis sit electio efficax ad gloriam ante scientiam absolutam, sed post conditionatam? Affirmativè. Ita P. Ruiz. hic d. 12. sect. 1. num. 3. P. Arriaga hic d. 35. sect. 8. num. 90. P. Quiróz 17. 6. d. 12. sect. 2. & alii infra citandi. Probatur primò ex Scriptura Matt. 3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ad Rom. 11. Potens est Deus inferre illos; id est in bonâ olivam. Et cap. 14. Potens est enim Deus statuere illum: nempe in perpetuâ mandatorum observan-

tia. Et 2. Cor. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes; abundetis in omne opus bonum. Et ad Ephes. 3. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intellegimus. Et Judæ 12. 24. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos, &c. Et Proverb. 21. Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Ex quibus, aliisque pluribus locis constat hanc Deum potestatem habere eligendi pro sua libera voluntate quemcumque maluerit ad gloriam.

243. Probatur secundò, idèd talis electio repugneret, quia læderet libertatem creatam; sed non ita læderet; siquidem intentio illa dandi gloriam esset actus reflexus determinans Deum ad volendum dare auxilia, quibus ipsa gloria acquireretur, talis autem actus non læderet libertatem creatam: tum quia si eam non lædit dare ipsa auxilia, neque etiam lædet velle illa dare: tum etiam, quia si ipsa auxilia, quæ sunt principia immediata, non lædunt libertatem, neque eam lædet illa intentio, quæ tantum esset principium remotum operans per ipsamet principia immediata; ergo &c.

244. Probatur tertio, quia si cerò sciam ex revelatione divina Petrum mihi liberè daturum librum suum, si ab eo petam, possum velle petere, quin hac mea volitione offendam ejus libertatem; siquidem dabit, & si infallibiliter, non coactus à revelatione divina, neque necessitatus à mea volitione, sed quia erat ex se conditionatè determinatus ad dandû; ergo similiter Deus sciens Petrum infallibiliter cooperaturum cum auxiliis in ordine ad salutem consequendam, potest ei efficaciter velle ipsam salutem, & in ea velle dare auxilia, quin offendant ejus libertatem; siquidem, etsi infallibiliter postea consequeretur gloriam, non esset tamen necessitatus à divina intentione, neque ab auxiliis, sed quia jam erat conditionatè determinatus ad cooperandum.

245. Probatur quarto, idèd illa electio esset impossibilis, quia cum esset voluntas Dei efficax antecedens consensum, & necessariò connexa cum illo, necessitaret voluntatem; sed possibilis est in Deo talis voluntas, quin nostram necessitet; siquidem nos possumus petere, imò in Oratione Dominicâ jam de facto petimus à Deo auxilium efficax, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*; quod Deus potest velle dare; hæc autem voluntas dandi est antecedens nostrum consensum in esse futuro, & necessariò connexa cum illo, alioqui non esset voluntas dandi auxilium efficax, quin tamen lædat nostram libertatem; ergo &c.

246. Probatur quinto, idèd esset impossibilis talis intentio efficax, quia implicaret velle gloriam dandam postea in executione propter merita ante illa prævisa in esse absoluto: aut quia Deus sic posset etiam reprobare ante prævisa demerita in esse absoluto, quod implicat; sed licet implicet hoc secundum, non implicat illud primum; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus benè potest ex se moveri ad dandam vitam, non ita tamen ad dandam mortem, nisi coactus à peccatis reprobi; neque enim Deus vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, ex principio illo: *Omnis excessus in premiando est à virtute liberalitatis, & omnis excessus in puniendo est à vitio crudelitatis*. Probatur quoad secundam partem, quia illa intentio benè potest esse gratuita ex parte subjecti, id est Dei, & esse ex debito ex parte

objecti, nempe gloriæ; siquidem bene potest Deus gratuitè velle gloriâ exequendam ex iustitia: sic enim homo nullus obstrictus debito potest intendere vendere equum tradendum propter præteritum, cuius intentio est gratuita ex parte subjecti, & executio postea ex parte objecti est ex iustitiâ, quatenus ex illa intentione gratuita determinatur homo ad executionem non gratuitam; ergo &c.

247. **Objicies** 1. Electio illa ita esset suppositio antecedens, ut ejus positio non esset in potestate prædestinati; siquidem non poterat Deum movere ad illam ponendam per sola merita conditionata: deinde, illâ positâ, magis illi repugnaret carentia salutis, quam prædeterminationi physicæ repugnat carentia actûs; siquidem cum hac, saltem divinitus potest conjungi carentia actûs, & non ita potest cum illâ etiam divinitus conjungi carentia salutis; ergo omninò tolleretur libertatem de salute consequenda.

248. **Respondeo** negâdo primam partem antecedentis; neque enim electio illa est suppositio simpliciter, & absolutè antecedens, neque definit esse in manu prædestinati, quod detur talis electio, nam licet non potuerit per sola merita conditionata efficere, quod poneretur, potuit tamen efficere, quod non poneretur; si enim Deus non prævideret eum liberè cooperaturum, non eum eligeret. Undè quamvis absolutè non sit in mea manu, quod prædestiner, cum dependeat à libera Dei voluntate, qui poterat videre mea merita conditionata, & me non prædestinare; in mea tamen manu est impedire meam prædeterminationem, quatenus possum non correspondere auxiliis divinis: sicque opera illa conditionata non movent Deum ut merita ad ponendam electionem in præmium; sunt tamen causa, ut electio ab illis dependens, & infallibilitatem sumens, non dicatur antecedens libertatem creatam simpliciter, & absolutè, sed ad plurimum secundum quid.

249. **Neque obstat**, quod non possit, neque divinitus habere secum actualiter carentiam salutis; siquidem etiam Scientia Media, & voluntas dandi auxilium efficax, ita sunt conjunctæ cum consensu futuro, ut non possint, etiam divinitus habere secum actualiter carentiam illius; & tamen non sunt suppositio omninò antecedens libertatem, eamque tollens, cum supponant ejus futuritionem conditionatam, & illi accommodentur; sicque non emutant connaturalem, & intrinsicum modum operandi in voluntate creata, sicut illum non emutat illa electio; præsertim cum solum intendat Deus salvare prædestinatum liberè; & cum salus libera, licet infallibilis, secum deferat potentiam ad non essendum, ita etiam eam involvit talis electio, etiam si talis potentia non sit infallibiliter reducenda ad actum propter determinationem conditionatam causæ liberæ cognitæ per Scientiam Mediam, quam supponit.

250. **In** istis: Talis electio, saltem respectu salutis ut absolutè futuræ, est omninò antecedens: Deinde non potest secum ferre voluntatem Dei generalem de concurrente ad carentiam salutis; siquidem Deus non potest parere auxilium ad frustrandam suam voluntatem efficacem; ergo saltem ex hoc capite tollitur libertas. **Resp.** etiam Scientiam mediam esse antecedentem respectu consensus ut absolutè futuri; & tamen non tollere libertatem: Deinde Deus cum ipsâ Scientiâ habet generale decretum ad oppositum; & tamen non ideo dat auxilium ad frustrandam suam Scientiam, cum

illud non det eâ intentione, ut oppositum habeatur reduplicativè, & ex suppositione, quod detur Scientia Media, sed absolutè, & specificativè, ut possit fieri oppositum, & exerceri libertas creata: sic etiam videns per Scientiam Mediam Petrum peccaturum in tali occasione, adhuc ei dat vocationem, nè peccet, non reduplicativè, & in sensu composito, suppositâ tali scientiâ, sed absolutè, specificativè, & in sensu diviso à tali Scientiâ, ut possit non peccare, ideoque; nõ vult tolem Scientiam frustrari; sicque similiter de illa electione efficaci ad gloriâ, quæ supponit ipsam Scientiam Mediam, in qua fundatur, & à qua sumit efficaciam, & suam infallibilitatem, ac proinde non est simpliciter antecedens.

**Urgebis**: Aut Deus Scientiâ Mediâ prævidit nostrum consensum liberum ante, aut post electionem efficacem ad gloriâ: Si primum; ergo voluntas non poterat postea liberè operari, cum ei adveniret electio efficax eam determinans ad operandum; si secundum; ergo non potuit prævidere ipsum consensum liberum, cum videret voluntatem operantem sub electione efficaci, quæ non poterat frustrari; ergo semper tolleretur libertas.

**Resp.** prævidere ipsum consensum ante electionem, quæ postea adveniens non offendit libertatem; siquidem non mutat causas, quas ipse consensus liber habebat in statu conditionato, sed eas relinquit intactas: & quamvis ipsa electio sit etiam causa, talis est tantum mediâ, id est, mediis auxiliis, quatenus Deum determinat ad danda ipsa auxilia, quæ cum non lædant libertatem, neque illam lædet ipsa electio, ut diximus. Patet à simili, nam etiam Scientia Media advenit statui conditionato, quia tamen mutet modum operandi liberè, cum non mutat causas. Aliter tamen dicendum esset, si illa electio efficax esset absolutissima applicans mediâ, quæ determinant ad consensum, & non sine dari universalem permissionem ad oppositum, hæc enim necessitaret; de illa tamen hic non loquimur.

**Replicabis**: Prædeterminatio physica, licet supponat Scientiam Mediam de consensu futuro, tollit omninò libertatem, & secum non patitur decretum generale de concurrente ad oppositum, ex eo, quod neque ejus positio sit in potestate hominis, neque posita, possit homo impedire ejus operationem; ergo idem dicendum de electione efficaci. **Respondeo** negando consequentiam; diversa ratio est, quia prædeterminatio physica, cum sit causa physica operationis, addita, mutat causas consensus prævisas in statu conditionato; neque enim in hoc poterat voluntas operari liberè in sensu composito, id est, si videretur habere ipsam prædeterminationem, sed in sensu diviso ab illa; ac proinde non mirum, si mutet modum operandi, & voluntatem necessitet, cum Scientia Media antecedens sit respectu illius veluti per accidens, & tanquam si non præcederet, utpotè cui ipsa prædeterminatio non se accommodat, sed propriam sequitur naturam, quæ est determinare ad operandum, & voluntatem necessitare; quod aliter est in electione efficaci, ut patet ex dictis.

**Inferes**: Ergo si illa electio penderet à futuritione consensus prævisi, & hæc à libertate creata, ipsa libertas creata, & non Deus est tota causa discretionis prædestinati à reprobis, quod tamen est contra illud 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te discernit?* **Resp.** respondeo negando illationem; nam sicut prædestinatus videbatur consensurus, si vocaretur in tali occasione,

occasione, ita etiam videbatur consensurus reprobis, si in tali occasione vocaretur: cum autem Deus prædestinatum, & non ita reprobum vocet, idem solus Deus ipsum prædestinatum à reprobo discernit.

355. Dices: Neque unio hypostatica in Christo Domino: neque Visio Beata in Petro est principium operationum, aut conditio ad illas; & tamen tollit libertatem ad peccandum, & non permittit illud decretum generale concurrenti ad oppositum. Similiter præceptum Dei de subeunda morte in hoc instanti v. g. impositum Christo Domino non est immediatè operativum, neque necessarium ad operationem; & tamen illam necessitat ad operandum, sive ad subeundam mortem, & non permittit in Deo decretum generale ad oppositum; ergo similiter de illa electione.

356. Respondeo primò cum aliquibus negando consequentiam; diversa ratio est, quia electio illa est extrinseca prædestinato, ideoque necessitatem non inducit: at verò unio Hypostatica, & Visio Beata, sicut & prævia motio, cum sint formæ intrinseca, inducunt necessitatem. Non placent primò, quia decretum Dei efficax absolutum est extrinsecum; & tamen inducit necessitatem. Secundò, quia unio Hypostatica, & Visio Beata sunt extrinseca voluntati, cum in illa non recipiantur; & tamen hæc illam necessitat ad amorem, & illa ad non peccandum. Igitur.

357. Respondeo secundò meliùs negando consequentiam; diversa ratio est, quia neque unio hypostatica, neque Visio Beata accommodantur Scientiæ Mediæ antecedenti, licet detur, neque eam supponunt, imò omnino per accidens cum illa junguntur; siquidem ex naturâ suâ expellunt omnem sensum divisum à subiecto, in quo sunt, illud determinando ad unum, quin aliquo modo permittant oppositum: aliter tamen dicendum de illa electione, ut patet ex supra dictis. De præcepto imposito Christo Domino idem dicendum est; siquidem cum efficiat oppositum esse peccatum, & peccatum pugnet cum unione hypostatica, idem de illo dicendum est, quod de ipsa unione.

358. Obijcies 2. Deus eligit prædestinatum ad gloriam, ut ad præmium, mercedem, & coronam juxta illud Luc. 6. 23. *Gaudete in illa die, & exultate: Ecce enim merces vestra copiosa est in celo.* Et 2. Tim. 4. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ: & sæpè alibi;* sed non poterat sic eligere, nisi post prævisa merita absolute futura; siquidem in eo distinguitur meritum à fine, quod meritum movet, quia jam est, ut præmium sit: finis autem non ita, sed movet, ut ipse sit, ideoque sufficit, quod videatur possibile, & non ita sufficit, quod videatur meritum, sed debet prævideri existens; ergo &c.

359. Respondent aliqui ad id sufficere merita sub existentia conditionatè futura. Sed contra primò; ergo injustè damnarentur reprobi; siquidem etiam Deus videbat eorum merita sub existentia conditionatè futura, si in tali, aut tali occasione vocarentur; & tamen eis non tribuit gloriam. Secundò; ergo justè posset Deus damnare electos; siquidem etiam vidit eorum demerita sub existentia conditionatè futura, si in tali, aut tali occasione eis denegaret auxilia congrua; hæc autem non admittuntur; ergo &c.

360. Respondent alii, eam electionem fuisse independentem à meritis, postea tamen ipsa merita jam in esse absoluto prævisa obtinere, quod eadem gloria, quæ jam priùs supponebatur tribuenda, iterum novo alio titulo tribuatur. Non

placent, (etiam si supra videamur hanc solutionem non rejicere,) primò, quia meritum de lege ordinaria non movet ad dandum in præmium novo titulo illud, quod jam antea possidetur; siquidem movet ad faciendam novam gratiam; hæc autem non fit dando novo titulo illud, quod jam possidetur; alioqui posset Deus de lege ordinaria eodem numero præmio omnia merita præmiare, addendo tantum novos titulos. Secundò, quia si Deus in ea prima electione voluit dare homini gloriam gratis, non potest de lege ordinaria dare eam postea propter merita; siquidem velle dare gratis, & ob merita, sive non gratis, de lege ordinaria repugnat, cum non exequatur gloria, ut fuit priùs intentum.

Respondent alii, potuisse Deum in primo signo intendere gloriam præscindendo à meritis, neque ea includendo, neque excludendo, sed præcisivè se habendo; in secundo autem signo deliberare de illa danda ex meritis. Patet exemplis: primò, quia potest quis videns egenum deliberare primò apud se illum juvare: postea autem decernere, an omninò gratiosè, an solvendo illi pecuniam aliàs debitam. Secundò, quia Deus potest primò pluviam decernere; postea autem deliberare circa causas, propter quas eam est executioni mandaturus, an scilicet propter orationes fidelium, an propter causas naturales. Undè fit, quod illa prima intentio haberet pro motivo solam manifestationem gloriæ divinæ, & communicationem Dei creaturis, & non honestatem Misericordiæ, aut Justitiæ: Secundum verò decretum applicaret Omnipotentiam ad exequendam ipsam salutem sic intentam jam ex motivo Misericordiæ, aut Justitiæ. Ita P. Soar.

Dices 1. cum P. Arriaga cit. d. 35. sect. 3. n. 28. 262. Talis intentio cum sit antecedens, tolleret libertatem; ergo non est admittenda. Respondeo negando antecedens; talis enim intentio potuit esse post Scientiam Mediã de mediis liberis; intentio autem efficax, suppositã Scientiã Mediã, non tollit libertatem, ut supra diximus. Addo, etiam si esset ante hanc Scientiam, adhuc posse salutem esse aliquo modo liberam, si Deus v. g. in secundo signo, habitã jam Scientiã Mediã de mediis indifferentibus, daret auxilia indifferentia, quibus homo libenter consentiret ad salutem consequendam; tunc enim Deus solùm obligaretur ad necessitandam hominis voluntatem casu, quo non inveniret mediã, quibus ille vellet consentire. Patet exemplo, nam si pater intenderet efficaciter mittere filium vellet, nollet ad bellum, & postea blanditiis, & obsequiis eum alliceret, ut liberè consentiret, illeque in re liberè patri obediret, quis dubitabit, filium liberè suscepisse bellum, & patrem ex illo decreto solùm se obligasse illum cogere, dato quod filius nollet? ergo similiter efficeret Deus in eo eventu, sicque adhuc homo liberè ageret ad salutem.

Dices 2. cum eodem P. Arriaga cit. num. 36. 263. In eo eventu non posset postea mereri gloriam etiam in secundo signo, quia jam supponebatur aliundè debita in prima intentione; quod autem jam debetur, non meretur; ergo &c. Respondeo illam primam intentionem, licet decerneret dare gloriam, esse solùm dependentem à secundo decreto, quod deliberaret de motivo, & facta deliberatione de motivo, solùm ex hoc intenderet dare, & non absolute sine illo. Undè quamvis homo tunc haberet jus ad gloriam, non esset jus absolutum, sed dependens à secundo decreto eligente mediã, per quã assequeretur.

D d

Patet

264. Patet à simili, si homo efficaciter decerneret transferre dominium sui equi in amicum, non deliberando, an gratis, vel pretio accepto, nonne possit postea, durante illa prima intentione illum tentare, an velit emere, & accepto iusto pretio, iuste illum tradere? Ita sane; sed ex vi illius primæ intentionis solum haberet amicus jus ad equum, non tamen ad illum accipiendum gratis, sed aut gratis, aut dato pretio dependenter à secunda volitione; ergo ita etiam esset in Deo. Hoc modo respondent aliqui, ut diximus, videant tamen, an illa indeliberatio in Deo circa merita, & suspensio circa hoc, aut illud motivum repugnent Deo, sicut ei repugnat cognitio confusa. Igitur.

265. Respondeo melius ad argumentum num. 258. negando minorem; Deus enim per eam electionem vult gratis salutem prædestinato, tradendam tamen post per merita, & propter illa: ita ut ipsa volitio sit omnino liberalis ex parte subjecti; siquidem ex se, & nullo oblato pretio, movetur Deus ad illam habendam, quatenus non tenebatur velle donare nobis, imò neque etiam vendere salutem: non ita tamen talis sit ex parte objecti; siquidem non est de donandâ, sed de vendendâ gloriâ per merita; sicque non est concessa independentem à meritis: undè ipsa volitio manet prior meritis formaliter, & posterior virtualiter, ac ex parte objecti, quatenus non nisi per merita vult Deus dare gloriam, volendo simul virtute media ipsa, sive merita, quibus postea moveatur formaliter ad illam in effectu tradendam.

266. Patet à simili in eo, qui in gratiam alterius vult equum vendere; hic enim, cum à nullo cogatur velle vendere, gratis, & liberaliter vult ex parte actus; non tamen ex parte objecti; siquidem intendit non tradere, nisi oblato pretio; quod idem est in omnibus aliis contractibus: in Rege proponente præmium certantibus non dandum, nisi post victoriam: & in amico sollicitante pro alio amico, ut per sua merita assequatur præmium; cum hac tamen diversitate inter Deum, & homines, quod Deus vult etiam dare pretium, dando auxilia congrua ad opera major, ut emamus salutem; & non ita inter homines volunt venditores dare, imò volunt accipere pretium ab emptoribus, sicque de aliis exemplis. Deinde inter homines venditor potest habere aliquam voluntatem vendendi, antequam videat emptorem, non tamen omnino efficacem, quia sibi certò non constat, an velit ipse emptor emere, & pretium habeat; Deus autem vult efficaciter, & per Scientiam Mediam jam ei certò constat de emptore, & de pretio.

267. Inferes: Ergo Deus aliter intendit Petro gloriam, & aliter eam postea donat; siquidem in ipsa intentione non est venditio, cum tamen talis sit in executione. Respondeo negando illationem, si sumamus eam intentionem, non ex parte actus, sed ex parte objecti; nam tunc si non est venditio exercita, quia non offeruntur merita in esse absoluto, est tamen venditio signata, quia intendit non dare gloriam, nisi post merita accepta; ac proinde ex tunc incipit gloria esse prædestinati, possidenda tamen ex suppositione, quod det merita. Undè intentio dandi gloriam ex parte objecti non est merum beneficium; aliter excluderet merita etiam in ordine executionis; siquidem qui intendit dare rem merè liberaliter, si postea tradat, accepto pretio, aliter dat, atque intendit, quod non potest in Deo admitti, idem enim motivum habuit in intentione dandi gloriam,

atque postea in executione, quod erat dare ex iustitia.

#### SECTIO XIV.

*Virum electio efficax ad gloriam de facto fuerit ante prævisa merita in esse absoluto?*

**N**ec est nobilissima, & omnium Doctorum scriptis celeberrima controversia, tota illius difficultas revolvitur ad ordinem, quem actus, in quibus consistit prædestinatio, inter se habent, sive ad causam motivam primariam propter quam Deus hos potius, quam illos eligit ad gloriam; nam si prius præparat gratias, prædestinat merita, & illa videt absolute futura, quam efficaciter prædestinet ad gloriam; causa hujus electionis sunt merita ipsius electi sic antea prævisa: si autem prius efficaciter eligit ad gloriam, quam videat merita absolute futura, hujus electionis causa non sunt ipsa merita, sed sola Dei voluntas. Undè:

Advertes primò, quando hic quæritur causa prædestinationis, non esse quæstionem de causa ipsius actus divini secundum id, quod dicit in re-cto; sic enim est ipse Deus, qui nullam habet causam, cum sit omnium Prima, sed solum secundum id, quod connotat in obliquo, sive illorum effectuum, ad quos terminatur illa Dei voluntas.

Advertes secundò nomine causæ hic, aliam intelligi non posse, quam motivam, & meritoriam; siquidem finalis est gloria Dei; subjectiva est ipse prædestinatus; formalis est ipsamet prædestinatio; effectiva physica est ipse Deus; sicque sola superest effectiva moralis Deum movens ad prædestinandum, seu ad præparandas homini gratias congruas, prædestinanda merita, & gloriam decernendam. Tota igitur prædestinationis difficultas, omnium adhuc ingeniorum contentione major, consistit in assignanda causa, quæ Deum ab æterno efficaciter movet ad decernendam absolute gloriam Divo Petro potius, quam reprobo Judæ; siquidem cum certum sit præter voluntatem illam generalem inefficacem salutis omnium, de qua supra, admittendam esse in Deo voluntatem aliquam specialem efficacem, & absolutam dandi electis gloriam, quam voluntatem Deus non habeat pro gloria omnium reprobatorum, necesse est, ut ad hoc decretum absolutum moveatur Deus, aut ex pura liberalitate, & amore gratuito erga electum, aut ex iustitia quadam, qua velit reddere æquale præmium meritis, quæ jam videt absolute futura ex gratiis præparatis, qui est cardo totius controversiæ, in qua plures sunt Doctorum sententiæ, aliæ hæreticæ, aliæ minus, aliæ magis probabiles. Igitur.

Prima sententia asseruit causam meritoriam prædestinationis fuisse opera bona, quæ anima prædestinati fecit antequam ejus corpori uniretur. Hic fuit error Origenis lib. 1. Periarch. cap. 8. & lib. 2. cap. 1. censuit enim, animas fuisse creatas ante hunc mundum visibilem, & pro ratione operum honorum, aut malorum, quæ tunc gesserint, uniri corporibus hominum, aut prædestinatorum, aut reprobatorum. Rejicitur hic Origenis error: Primò ex illo ad Rom 9. ubi de electione Jacob, & reprobatione Esau: *Cum enim, ait, non dum nati essent,*

neque quidquam boni, aut mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocatione dictum est, quia major serviet minori; sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau odio habui*. Et idem convincitur 2. Tim. 1. & ad Tit. 3. Secundò ex Concil. Later. sub Innocent. III. sess. 8. & Clementina unica de sum. Trinit. §. Porro, ubi damnatur hic error Origenis quatenus censuit animas uniri corporibus, non ut formas naturales, sed in præmium, aut in poenam. Tertio ex Sanctis Patribus D. Cyril. Alexand. lib. 1. in Joan. cap. 4. D. Hieron. in cap. 1. ad Ephes. & aliis.

272. Secunda sententia fuit Pelagianorum, qui cum causam, ac initium justificationis ponerent in actionibus naturalibus liberi arbitrii, conferentque etiam solis viribus ejusdem liberi arbitrii sine auxilio gratiæ posse hominem in gratia accepta perseverare; consequenter censebant hujusmodi actiones naturales liberi arbitrii esse causam prædestinationis meritoriam ex condigno, de qua Pelagianorum sententia loquitur D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 18. ibi: *Præstibat, (ait Pelagius,) qui futuri essent sancti, & immaculati per libera voluntatis arbitrium; & idè eos omnes ante mundi constitutionem in ipsa sua præsentia, quia tales futuros esse præscivit, elegit.*

273. Sed contra hunc impium divini gratiæ hostem definitum est à quatuor Conciliis in illius causa coactis, Palæstino, Milevitano, & duobus Carthaginensibus, ac in multis aliis confirmatum præsertim à Trid. sess. 6. can. 1. & 3. deinde sancitum à pluribus Pontificibus illorum temporum Innocent. I. Epist. ad Concil. Milevit. Cælestino I. Epist. ad Episcopos Gallie. Gelasio in Concil. 70. Episcoporum: probatum ab omnibus Patribus, præsertim à D. Aug. lib. de bono perseverant. de prædest. Sanctor. de grat. & lib. arbitr. de corrept. & grat. & Epist. 105. & 106.

274. Tertia sententia fuit Semipelagianorum, qui paulò postquam fuit repressus Pelagii error, docuerunt in Gallia idem ferè, quod Pelagius, ideoque Semipelagiani, sive Pelagianorum reliquæ dicti sunt. Hi censuerunt, causam meritoriam prædestinationis esse fidem, quæ quis primò credit doctrinæ Evangelicæ, atque adèd voluntatem ipsam credendi, & acceptandi salutem omnibus divinitus oblatam, itemque perseverantiam finalem in fide; quatenus asserbant, hominem, postquam divini gratiæ munere per fidei doctrinam salus omnibus offertur, & vocatione divina voluntas hominis prævenitur, posse per solum suum liberum arbitrium ita credere, & velle salvari, ut merito hujus fidei, & voluntatis obtineat à Deo munus gratiæ, quo & justificetur, & roboretur in illa voluntate, & fide; indigere autem auxilio gratiæ ad actiones virtutum piæ, & observationem mandatorum (quod inter alia negabat Pelagius) non verò ad perseverandum in fide, sed id posse per solas vires liberi arbitrii.

275. Sed contra has Pelagii reliquias stat: Primò Scripturæ autoritas, quæ docet, & fidem, & perseverantiam in fide, & omnem piæ, ac salutarem voluntatem promanare ex auxilio gratiæ, ut patet ex illo Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Et 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti*. Et ad Philipp. 1. *Vobis datum est, non solum, ut in eum credatis, verum etiam, ut pro eo patiamini*. Et ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere*. Et 1. ad Tim. 4. *Miseritordiam à Domino consecutus sum, ut fidelis essem*. Secundò au-

thoritas Concil. Arausic. 2. Sub Leone I. can. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. ubi asseritur, neminem posse credere, aut perseverare sine auxilio divini gratiæ; quod etiam definitum est in Trid. sess. 6. cap. 5. 6. & 13. & can. 3. Tertio autoritas Sanctorum Patrum. D. Aug. lib. de bono persever. cap. 17. D. Prosper. D. Hilar. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. & lib. de Incarnat. cap. 17. & 18. D. Greg. hom. 9. in Ezech. D. Bern. lib. de grat. & liber. arbitr. & alii.

Quarta sententia fuit eorum error, qui cum Basilide, Valentino, & Manichæis extreme oppositam Pelagio hæresim amplexi Prædestinatiani dicti sunt, quod vellent totam causam prædestinationis ita esse voluntatem Dei, ut neque prodesse possent nobis opera bona, si essemus reprobi, neque mala, si electi: quod delirium novissimis his temporibus secuti sunt Wicleffus, Joannes Hus, Martinus Lutherus, & Calvinus, volentes prædestinari homines ad vitam, & ad mortem ex solo Dei beneplacito nihil attendentis ad eorum merita, aut demerita, sed ex sola sua voluntate quosdam ad vitam, alios autem ad ignem æternum destinantis, ita ut nullum electis imputetur peccatum à Deo, neque reprobis à Deo detur ulla gratia, qua peccatum vitetur.

Sed contra hæc omnia opinionum monstra cum veritate catholica insurrexit D. Ignatius parens meus, & instituta ab eo Societas Jesu; *Sicut enim (dicit de eo Ecclesia,) Deus alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecit*. Nunc quas in hac materia opiniones habeant Doctores Catholici jam dicimus.

Quinta sententia affirmat in actibus, ac decretis divinis nullam esse prioritatem rationis inter merita, & gloriam, sicque neque merita prævideri ante voluntatem dandi gloriam, neque è contra; sed utraque, ut dicunt, habent se concomitanter, & Deus unico actu re, & ratione vult merita propter gloriam, & gloriam per, seu propter merita. Ita P. Mol. 1. p. q. 23. art. 4. d. 1. memb. 3. P. Valent. hic q. 23. punct. 4. §. Sit jam igitur secunda assertio. P. Granad. 1. p. contr. 14. d. 8. tract. 5. & tract. 7. d. 4. sect. 3. P. Arrub. d. 72. & 73. quos citat, & sequitur P. Rhodex d. 5. de Deo, q. 2. sect. 5. §. 2. & alii, quorum fundamenta infra proponemus, & diffolvemus.

Sexta sententia est aliquorum dicentium, prædestinatos ante merita prævisa eligi ad minimum gloriæ gradum, nempe ad illum, quem parvultatim post baptismum extincti assequuntur; quidquid autem primo huic gradui adjungitur, non nisi prævisis meritis à Deo ipsis conferri, sicque gratias accipiunt, ut hi Authores dicunt, primum gradum gloriæ; reliqui autem gradus per, & post prævisa merita.

Septima Sententia asserit, licet præscientia, seu prævisio absoluta meritorum antecedit ut plurimum electionem ad gloriam, aliquos tamen eximie à Deo dilectos, fuisse peculiari modo prædestinatos, sicque ante prævisa merita, inter quos adnumerant Beatissimam Virginem MARIAM, D. Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos, & alios hujusmodi. Ita Ocham. in 1. dist. 41. quest. 1. Gabr. ibid. q. 1. art. 2. Catharin. opuscul. de prædest. lib. 1. & alii.

Octava sententia magno plausu à Recentioribus plerisque excepta, quia, inquit, facilius, & suavior docet totam causam electionis efficacis ad gloriam esse merita absolutè prævisa, sicque nullum, sive Angelum, sive hominem ratione præditum fuisse

ad gloriam prædestinatum per electionem efficacem ante merita absolute prævisa. Ita P. Vasq. 1. p. d. 89. Stapletonius in cap. 9. ad Rom. P. Less. de prædest. sect. 2. P. Valent. 1. part. q. 23. punct. 4. S. 4. P. Becan. hic cap. 14. quest. 4. P. Merat. 1. p. d. 41. P. Alarcon. tract. 4. d. 2. cap. 11. P. Herice tract. 3. d. 23. P. Vekens hic. d. 26. cap. 4. n. 7. P. Moncaus d. 4. quos citat. & sequitur P. Compton. hic d. 40. sect. 1. n. 3. & sect. 4. n. 2. Camerar. in dialog. cap. 5. Osorius lib. 9. de iustit. P. Francisc. Turrian. in opuscul. de Election. Willelm. de Rubion. in 1. dist. 41. q. 1. a. 1. & art. 2. conclus. 3. apud. P. Vasq. cit. cap. 2. P. Preposit. hic q. 23. ad. dub. 8. §. 2. n. 69. Joan. à Bononia opuscul. de prædest. p. 1. & 2. Joan. Mariana de Morte, & Immortalit. cap. 7. Richard. in 1. dist. 41. art. 2. q. 2. & alii apud citatos, quorum fundamenta infra adducemus, & dissolvemus.

## SECTIO XV.

### Proponitur, & probatur sententia à nobis tenenda.

282. **Q**UANTUM & probabilior sententia, quam sequimur docet prædestinationem, sive electionem ad gloriam respectu omnium tam Angelorum, quam hominum sive adultorum, sive parvulorum factam esse ante prævisionem absolutam meritum. Ita D. August. variis in locis, & alii Patres, de quibus infra. D. Thom. hic q. 23. art. 4. & 5. & lib. 3. contr. gent. cap. 161. & 163. & ad Rom. 9. lect. 3. Magist. in 1. dist. 40. & 41. Durand. ibid. dist. 41. q. 2. art. 2. n. 14. & q. 1. n. 8. Scot. in 1. dist. 41. q. 1. §. Potest aliter. D. Antonin. 4. part. tit. 14. cap. 12. §. 4. Rainer. 1. p. cap. 9. verbo. Electio. Alphodorus in 1. cap. 9. q. 2. Arimin. in 1. dist. 41. quest. 1. art. 2. conclus. 4. & 5. Major. dist. 40. q. unica. & dist. 41. q. 1. Marsil. in 1. q. 41. art. 2. Egid. dist. 41. q. 1. art. 2. Capreol. in 1. dist. 41. art. 1. conclus. 7. Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 161. & 163. Richard. in 1. dist. 41. q. 2. art. 2. Abul. in Matt. cap. 20. q. 25. & cap. 22. q. III. Driedo de concord. liber. arbit. p. 1. cap. 3. conclus. 1. & 3. & cap. 4. memb. 1. ad 5. Richard. Tapper. art. 7. de liber. arbit. Castro. verbo. Libertas, heresi. ad object. 3. Sor. ad Rom. 9. Corduba. lib. 1. questionar. q. 59. opin. 5. Sixtus Senens. lib. 1. Biblioth. annot. 248. Viguierus Instit. Moral. cap. 20. de Incarnat. §. 8. Horant. lib. 3. col. cahol. cap. 6. Caiet. Ripa. Bannez. Zumel. & Recentiores Thomistæ hic q. 23. art. 4. Cabrera in 3. p. q. 1. art. 3. ad 1. P. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 15 & 16. P. Henrig. de sine homin. cap. 11. & 12. P. Soar. 1. p. lib. 1. de prædest. cap. 8. à n. 32. & Opuscul. de Auxil. lib. 3. cap. 16. à n. 9. P. Salmeron. ad Rom. 8. d. 20. & 21. P. Peverius ibid. d. 12. 13. & 22. Estius in 1. dist. 41. §. 1. P. Justinian. ad Rom. 9. P. Lorin. in 2. Petr. 1. 10. & alii, quos citant, & sequuntur P. Tanner. hic d. 3. q. 5. dub. 3. à n. 5. P. Ruiz. hic d. 7. sect. 4. à n. 1. P. Arriaga d. 36. sect. 3. n. 20. P. Quiroz tract. 4. d. 12. sect. 3. n. 12.

283. Fundamenta ex triplici capite sunt desumenda: Primò ex autoritate Sacræ Scripturæ, de quo in præsentia sectione: Secundo ex autoritate Sanctorum Patrum: Tertio ex ratione, de quibus sectionibus sequentibus, cum enim præsentis quæstio sit totius materiæ prædestinationis præcipua, & magis controversa, mirum non est, si in illa stabilienda longius, quam par est immoremur. Igitur.

284. Probatur primò ex illo Matt. 25. 34. ibi: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: ubi significatur regnum

æternæ beatitudinis illis à Deo fuisse paratum, id est destinatum in mente divina à constitutione mundi, quod non debet intelligi de sola actuali mundi productione, quia illud propositum non fuit à Deo conceptum in tempore, sed ab æterno, sicut ab æterno decrevit mundum producere in tempore. Dicent etiam ibi mentionem fieri de causa propter quam Deus illis regnum paravit: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. Respondeo huiusmodi verba non reddere causam, cur illis paratum sit regnum, cum ibi de hac præparationis causa solum obiter fiat mentio; principaliter autem de proposito, de quo paulò ante dixerat: possidete regnum, &c. ut bene ibi D. Chrysofost. hom. 54. Nunc autem ait, quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum, idèò antequam sanctos crearet in saculo, regnum eorum preparavit in Cælo.

Probatur secundò ex illo Matth. 24. 20. Propter electos breviantur dies illi. Et Marc. 13. 20. Nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos, quos elegit, breviantur dies; sed ibi loquitur simpliciter de electis ad gloriam, & horum electio assignatur pro causa illius breviationis, quæ erat medium ad gloriam; ergo hæc electio debuit ratione antecedere in mente divina decretum illius medii. Ita P. Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 16. & P. Tanner. cit. n. 10.

Probatur tertio ex illo ad Rom. 9. 11. ibi: Cum non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Deimaret,) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Ex quo inferitur, Deum ex mera liberalitate, & non ex operibus prævisis quosdam eligere ad gloriam, aliis postpositis: neque enim potest sine temeritatis nota negari, ut ait P. Ruiz. cit. sect. 2. num. 1. ibi agi de Jacob eligendo ad gloriam, & de Esau propter scelera damnando, in quo sensu intelliguntur citatum locum. D. Chrysofost. Origen. Theodoret. Theophylact. Euseb. D. Amb. D. Athan. Sedulius. Beda. D. Anselm. Hug. Cardin. D. Thom. D. Trensus, D. Cyril. Alexand. D. Remig. D. Aug. lib. præposit. ex Epist. ad Rom. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & Epist. 105. ad Sixtum, & alii.

Dicent 1. D. Paulum ibi locutum, non de personis individuis Jacob, & Esau, sed de duobus populis, qui ex illis descenderunt, nempe de Israelitico, & Idumæo. Primò, quia in Scripturis sæpè nominibus capitum significantur populi: Secundo, quia ibi loquitur Apostolus de fratribus, quorum Major serviet minori; hoc autem non est dictum de singularibus personis Jacob, & Esau, sed de populis ex illis capitibus procreandis; sicut dem Paulus locutus est se referens ad illud Gen. 25. Dua sunt gentes in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividuntur, populusq. populum superabit, & major serviet minori: quod in populis, non verò in personis Jacob, & Esau accidit; neque enim Esau unquam servivit Jacob. Tertio, quia verba illa: Jacob dilexi, Esau autem odio habui: de populis procreandis, non verò de eorum stirpibus dicta sunt à Malach. cap. 1. Quarto, quia Apostolus hic præcipue agit de cæcitate, & reprobatione Idumæorum, & de electione gratuita gentium à Deo misericorditer facta; ad hoc autem probandum plenior erat argumentatio ex duobus populis desumpta, quam ex duobus tantum personis.

Respondeo D. Paulum ibi locutum fuisse & de populis

populis procreandis, & de eorum stirpibus, sicque: Ad primum dicimus in hoc, sicut & in aliis Scripturæ locis nomine Jacob, & Esau significari quidem populos ab ipsis procreatos, simul tamen etiam ipsas eorum personas singulares in exemplum prædestinatorum, & reprobatorum, contra quod nihil probat argumentum. Ad secundum idem dicimus; neque enim aliter, nisi de duobus personis singularibus potuit verificari textus, cum duo populi non possent esse in utero unius feminae. Ad tertium dicimus, licet litteralis sensus apud Malachiam sit de illis populis, eorumque bonis temporalibus, allegoricum autem, quem ex illo sumpsit D. Paulus, esse de prædestinatione populi Christiani, & reprobatione Judaici, ut ait P. Peregrius in gen. cap. 25, d. 6. & 7. P. Tolet. hic annot. 21. P. Salmer. hic d. 27. P. Justinian. hic vers. 13. P. Cornel. n. 54. & P. Ruiz cit. n. 13. Ad quartum dicimus pleniori argumentatione desumi simul & ex personis capitum, & ex duobus populis, quos omnes comprehendit eminentior Sapia D. Pauli.

289. Dicent 2. D. Paulum ibi non agere de prædestinatione, aut reprobatione omnium hominum in singulari, sed populi collectim sumpti. Primum, quia perinde fuit dicere Malachiam: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; ac si diceret *Israëlitas, & Idumæos*, sed si id dicerent Propheta, & D. Paulus, non deberent intelligi de prædestinatione aut reprobatione singulorum hominum, sed populi, perinde ac si diceret Lusitanos, aut Hispanos Deus dilexit, Turcas autem odio habuit; ergo &c. Secundum, quia Idumæi post Christi mortem cum reliquis gentilibus fuerunt ad fidem invitati, inter quos verisimile est fuisse non paucos prædestinatos, & ex Israëlitis quam plurimos damnatos; ergo illud odium adversus Idumæos, & amor erga Israëlitas non fuerunt approbatio, aut reprobatio personarum in particulari, sed hominum, sive populorum in communi.

290. Respondeo negando antecedens: Ad primum dicimus non idem esse: *Jacob dilexi*: atque *Israëlitas dilexi*, (similiter de Esau); siquidem prima illa verba exprimunt personam Jacobi, & implicite subintelligitur populus; sicque non solum ibi agit D. Paulus de prædestinatione, aut reprobatione duorum populorum, sed maxime personarum singularium. Ad secundum dicimus, neque amorem Jacobi prædestinasse qualibet personas Israëlitarum sed ipsum in particulari, (idemque de reprobatione Esau); illos tamen adducere D. Paulum in exemplum prædestinatorum, & reprobatorum.

291. Dicent 3. D. Paul. hic locutum fuisse de favoribus peculiaribus & felicitatibus temporalibus, ut ait P. Vasq. datis Jacobo, & negatis Esau; non autem de electione ad gloriam, & reprobatione. Respondeo negando antecedens: tum quia hic absolute sermo est de electione, & proposito Dei: tum quia servitus illa, qua reprobi subijciuntur electis, non est in hac vita, in qua sæpius iniqui dominantur bonis, sed debet in alia vita compleri juxta illud: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, &c.* Sap. 5. 4. tum etiam quia ipsa terra promissionis, ad quam electus est Jacob, non autem Esau figura erat cælestis gloriæ, ad quam gratia Dei benevolentia electus est Jacob.

292. Dicent 4. D. Paulum ibi locutum de primogenitura, & dominio Jacob; siquidem id impletum fuit, quando Isaac benedicens dixit: *Esto Dominus fratrum tuorum.* Gen. 27. ibi autem loquebatur de primogenitura; ergo &c. Respondeo quam-

visensus litteralis sit de temporali beneficio primogenituræ, allegoricum autem esse de singulorum hominum electione, aut reprobatione, & in hoc locutum fuisse D. Paulum.

293. Dicent 5. D. Paulum ibi locutum, ut secundum electionem propositam Dei maneret; electio autem versatur inter personas, in quibus meritorum discrimina prævidentur; ergo &c. Respondeo electionem divinam non præsupponere, sed facere meritorum discrimina, inter quæ versatur, prout infra dicemus.

294. Dicent 6. Odium Dei non esse possibile, nisi adversus peccata, quæ sola ipse non facit, nullum enim ex his, quæ Deus facit odio habet juxta illud. Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ergo nemo reprobatur, nisi propter prævisa peccata, quæ præbeant rationem odii, juxta illud: *Odio est Deo impius, & impietas ejus.* Sap. 14. Respondeo odium illud Dei adversus Esau, antequam aliquid mali egisset, non significare voluntatem positivam Dei inferendi poenam, sed tantum negativam de qua infra.

295. Probatur quartò ex eodem D. Paulo ad Rom. 9. 20. ibi: *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutæ, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex qua figuli, & lutæ similitudine probat D. Paulus prædestinationem, aut ejus negationem fuisse factam ante merita absolute prævisa; alioqui si ex operibus prævisis, exemplum figuli non esset aptum, ut D. Paulus satisfaceret querelis, & objectionibus sibi ab hominibus factis & antea adductis, ut intendebat. Ita D. Chrysost. D. Bonav. in 1. dist. 41. art. 1. q. 2. & ad 3. D. August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. & lib. de prædest. & grat. cap. 16. & cap. 7. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in Enchirid. cap. 99. & Epist. 105. & 106. & Concil. Valent. sub Leone IV. cap. 3. & alii. Confirmatur etiam ex illo Isai. 64. *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster es tu.* Et Jerem. 18. *Sicut lutum, ait, in manu figuli; ita in manu mea vos, domus Israël.* Et Sap. 15. *De eodem luto, inquit, fingit, quæ munda sunt in usum vasa, & similiter, quæ his sunt contraria. Horum autem vasorum quid sit usus, judex est figulus.*

296. Dicent 1. D. Paulum exemplo figuli denotare Deum pro mera sua liberalitate ex eadem massa quosdam abundantioribus auxiliis, ac spiritualibus beneficiis cumulare, alios relinquendo expositos gravibus peccatorum periculis, minori auxiliorum proventu roboratos. Respondeo hoc quidem non esse rejiciendum, dummodò ex hoc discrimine liberalitatis divinæ illi infallibiliter salventur; hi autem damnentur.

297. Dicent 2. Si in præsentem esset sermo de voluntate Dei, sequeretur Deum eundem esse malorum opificem, qui bonorum est author; siquidem idem vasa facit in contumeliam, qui facit in honorem. Resp. cum D. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. Deum efficere quidem vasa in contumeliam, non tamen quatenus efficit naturam humanam, cum hæc de se sit bona, & honore digna, neque quatenus faciat hominis culpam, cujus author esse non potest; sed quatenus homines à se neglectos, id est non efficaciter electos ad gloriam, sciens illos implicandos esse peccatis, ordinat ex ipsis peccatis ad poenam, ut infra dicemus.

298. Dicent 3. Deo pro sua voluntate faciente de hominibus quod ipse vult, sequi eorum liberum arbitrium rueret. Respondeo ita sequi, si Deus faceret id independentem ab eorum libera cooperatione,

tione, & nullâ præcedente Scientiâ Conditionatâ dictante, quid homo liberè sit voliturus in talibus circumstantiis, prout supra diximus.

299. Probatur 5. ex illo ad Ephes. 1. *In quo, ait, & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum voluntatis ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Ubi D. Paulus analogia fortis probat prædestinationem ante prævisa merita in esse absoluto: tum quia fors fortuitò, & casu hominibus contingit; quamvis respectu Dei non sic, sed ex libero decreto, consilio, & proposito: tum quia fors significat dona gratis collata his potiùs, quam aliis, solumque Dei beneplacito: tum quia fors significat terram viventium, id est gloriam à Deo promissam juxta illud Psal. 141. *Portio mea in terra viventium: quæ sorte divisa est, ut constat ex Scriptura.*

300. Confirmatur primò ex illo ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Ubi D. Chrysost. hom. 2. *Qua ratione, ait, sortem vocat; ut ostendat neminem ex propriis suis virtutibus acquirere regnum, sed quemadmodum fors magis ex eventu est, & casu, ita & hic: Nemo enim talem vitam conversationem ostendit, ut regno dignus esse possit, sed totum donum est ipsius Dei.* Idem exposuit hic Theophylact. D. Prosper. Epist. ad Rufinum, & D. Ansel. Confirmatur secundò ex psal. 30. ibi: *In manibus cuius sortes mee: non autè dixit meis: ubi D. Aug. Quando Deus, ait, nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis sue nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est fors.* Confirmatur tertio ex illo Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Ubi Beda cap. 18. cum D. Hieron. Sors, ait, est occulta & incomprehensibilis prædestinatione ex divina regula procedens. Confirmatur quartò ex illo Actor. 8. ubi D. Petrus ad Simonem Magum: *Non est tibi pars, neque fors in fide hac: id est, non pertinet ad istam gratiam, quam gratis omnes accepimus, quia pecuniâ te putas emere, quod gratis datur.* Confirmatur quintò ex illo Actor. 1. *Ostende quem elegeris ex his duobus unum: & additur: Cecidit fors super Mathiam: ubi notandum illud: cecidit: denotare casum, & Mathiam non fuisse causam illius suæ electionis; ergo &c.*

301. Probatur sextò ex illo Luc. 12. 32. ibi: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: ubi agitur de æterno regno dando ex complacentia, & ex beneplacito divino, non autem ex debito, & ex meritis absolutè prævisis; neque enim dicimus debitorem solvere debitum ex complacentia, sed ex debito.* Dicitur sermonem ibi esse de simplici, & inefficaci complacentia, aut voluntate conditionata, non autem efficaci; siquidem Christus Dominus non ad solos Apostolos, sed etiam ad alios verba fecit, inter quos multi non fuerunt prædestinati: aut si ad solos Apostolos, etiam inter illos erat Judas, quod stare non potest cum voluntate Dei efficaci prædestinante; ergo &c. Respondeo primò hæc verba intelligenda de solis electis, facta denominatione à potiori parte. Secundò, quia Christus Dominus voluit huic pusillo gregi speciale solatium exhibere; nihil autem speciale eis indicasset, si tantum de voluntate conditionata locutus esset.

302. Probatur septimò ex illo Joan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt.* Ubi D. Aug. tr. 35. in Joan. assignat conscriptionem inter oves Christi pro causa auditionis; ergo secundum rationem prius est esse ovem Christi per prædestinationem, quam

credere & audire vocem Christi.

Probatur octavò ex illo Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ubi sermo est ad solos Apostolos electos & prædestinatos, jam excluso Judæ, quo loco utitur D. Aug. ad probandam electionem gratuitam. Dicitur ibi sermonem esse de electione ad Apostolatium; ergo &c. Respondeo negando antecedens; quia etiam ibi est sermo de electione ad sanctitatem, & ad bona opera, eorumque perseverantiam, ut patet ex adjectis verbis: *Et posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vestri maneat: ad quæ dicuntur à Christo gratis electi; alioqui si ex operibus, prius ipsi per sua bona opera Christum elegerint, quam à Christo eligerentur.*

Probatur nonò ex illo ad Ephes. 1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Ubi D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 17. & 18. *Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Idè quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Et ex illo Jacobo 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni.* Ubi D. Aug. de prædest. Sanctor. cap. 17. *Eligendo ergo Deus facit divites in fide, sicut heredes regni.* Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit. Et ex illo 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* Ubi D. Aug. lib. 2. contr. 2. Epist. Pelagian. cap. 7. *Quis te discernit? Et tanquam respondisset, discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ergo ille discernit, qui unde discernaris impertis, penam debitam removendo, in debitam gratiam largiendo, &c.* Ex quibus, aliisque pluribus locis, quæ videri possunt apud Doctores citatos, satis constat Deum de factò nos elegerisse ad gloriam ante merita absolutè prævisa.

## SECTIO XVI.

### Probatur nostra Sententia auctoritate Patrum, & Conciliorum.

UM inter Sanctos Ecclesiæ Catholicæ Patres maxima sit de hac re D. Augustini auctoritas, quem utriusque Sententiæ Doctores pro se habere dicunt, & ex non benè intellecta Summorum Pontificum approbatione circa doctrinam D. Augustini de gratia, & prædestinatione, aliqui nostræ sententiæ Authores occasione sumperint severius, quam par est adversus contrariæ sectatores animadvertendi, de tali Summorum pontificum approbatione, quid sentiamus, prius dicendum, ut auctoritatem D. August. illiusque vim melius intelligamus: Undè:

Advertendum est, doctrinam D. Aug. quantum ad id, quod electio cuiusque prædestinati ad gloriam facta fuerit ab æterno independentè ab operibus supernaturalibus absolutè prævisis, & quod hujusmodi electio fuerit causa, ex qua infallibiliter sequerentur bona opera supernaturalia, & perseverantia in illis, non fuisse à Summis Pontificibus, & Conciliis approbatam quasi de fide, neque tanquam certam; siquidem hi fuerunt Celestinus Papa in epist. ad Episcopos Gallie, Leo I. Epist.

*Epist. ad Nicetam.* Gelasius in decreto de apocri. *Script. & Epist. 5. ad Episcopos per Piceum.* Et Concil. Araucan. 2. qui omnes non approbant ut certam, & de fide doctrinam. D. August. de prædestinatione, nisi quantum ad hoc, quod ex viribus naturæ sine auxilio gratiæ, nullum detur initium justificationis, nulla dispositio, nullum meritum, & nulla impetratio.

307. Probatur primò, quia in suis decretis, & canonicis inferunt articulos illos doctrinæ D. Aug. quos approbant; cum tamen plurimos inferant de negando initio gratiæ ex solis viribus naturæ, nullam ibi mentionem faciunt de electione ad gloriam ante prævisa merita. Secundò, quia illorum decreta dirigebantur ad reprimendos Massilienses contra D. Aug. Sed hi, licet agerent, non solum de electione ad gratiam, sed etiam ad gloriam, in eo tantum errabant, quod utriusque electionis causam sumi volebant ex actionibus liberi arbitrii, non dum excitati per auxilium supernaturale; ergo hoc tantum, non verò electio ad gloriam ex prævisis operibus supernaturalibus per gratiam, ab illis expressè reprobatur.

308. Advertendum tamen deinde est, electionem hanc ad gloriam ante prævisa merita magnam auctoritatem conciliare ex eo, quod hujusmodi sententia sit maximè affinis doctrinæ fidei confirmatæ à Summis Pontificibus; siquidem D. Aug. quoties excludit justificationis initium ex solis viribus naturæ contra Pelagianos, & Semipelagianos, toties recurrit ad id excludendum ad electionem factam ante prævisa opera quæcumque, siue naturalia, siue supernaturalia, insistsens semper in potestate divinæ electionis, ut nos moveat infallibiliter ad opera supernaturalia. Et quamvis Adversarii, quando ex testimoniis D. Aug. colligimus electionem ante prævisa merita, dicant D. Aug. agere de electione ad gratiam, aut ad vocationem congruam, non autem de electione ad gloriam, id tamen ex pluribus D. Aug. locis, aliorumque Patrum manifestè apparet: Undè.

309. Probatur primò ex D. Aug. in locis, de quibus supra, & nunc ex *lib. de corrept. & grat. cap. 6.* ubi adducens illud Actor. 13. *Crediderunt quotquot ordinati erant in vitam æternam: Quis, inquit, in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantia dono; quandoquidè qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quæ salute, nisi æternâ; sed nomine vitam æternam, siue salutem æternam, non potest intelligi sola gratia, aut sola perseverantia; siquidem donum perseverantiæ non est medium, quo homines ordinantur ad gratiam, aut perseverantiam, sed quo ordinantur ad gloriam; hoc autem donum perseverantiæ procedit ex electione divinâ, ut constat ex toto citato capite; ergo &c.*

310. Dicent nominibus *vita æterna, salus æterna, regnum colorum, aut gloria* intelligi à D. Aug. gratiam, quatenus hæc nos ordinat ad gloriam, quæ virtute continetur in ipsa gratia. Non placent: primò quia hujusmodi explicatio locum non habet in proximè citato loco, ut patet ex dictis. Secundò, quia verba detorquet ad minus usitatum intellectum. Tertio, quia minus aptè congruit menti D. Aug. ut patet ex supra dictis.

311. Probatur secundò ex eodem Aug. *lib. de prædest. Sanct. cap. 17.* ubi explicans illud Jacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, &c. Eligendo ergo Deus, ait, facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippè in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Ex quo facillè colligitur, electionem ad hæreditatem regni, & ad divitias fidei in eo

convenire, quod sicut electio est causa, ut sint divites in fide, ita etiam ut sint hæredes regni, & ut habeant ea, per quæ sint hæreditate digni; ergo ad electionem ad gloriam non præsupponuntur merita prævisa, sed ab ipsa electione causantur. Hoc idem probant alia loca D. Aug. quæ Sectione præcedente ponderavimus, & hanc doctrinam D. Aug. de electione ad gloriam ante merita absolute prævisa ita explicant D. Prosper, D. Fulgent. *lib. 1. ab Monim. cap. ult. & lib. 2. cap. 1. & Doctores supra cit.*

312. Dicent 1. D. Aug. tradidit hanc doctrinam contra Pelagianos, & Semipelagianos; sed horum nulli errabant circa electionem ad gloriam ex meritis gratiæ, sed tantum ex meritis naturæ prævisis; ergo solum de electione ad gratiam, & non ad gloriam locutus fuit. Respondeo minorem esse falsam, ut patet ex supra dictis, & exinde sumitur argumentum pro nostra sententia, quia Semipelagiani dicebant propter merita elicienda ex viribus naturæ à Deo prævisa eligi homines non solum ad auxilia gratiæ, sed etiam ad perseverandum in gratia, & ad gloriam; sed D. Aug. debuit plenè refellere Semipelagianos; ergo refellit non solum prædestinationem ad gratiam, sed etiam ad gloriam ex prævisis antea meritis: siquidem sic melius, & abundantius eorum errorem confutabat, quatenus dicebat, non solum ea, quæ in tempore sine præcedenti merito conferuntur, sed etiam ea, quæ conferuntur ad merita retribuenda, fuisse prædestinata ex mera benevolentia Dei decernentis conferre merita, ut retributionem conferat.

313. Dicent 2. Prædestinatio apud D. Aug. non est electio ad gloriam, sed tantum ad gratiam, ut patet ex *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. Inter gratiam, inquit, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratia preparatio; gratia verò ipsa donatio; ergo quando asserit prædestinationem fieri ante prævisa merita, intelligit solum electionem ad gratiam. R. nomine gratia hoc loco comprehendendi quælibet dona, ad quæ gratis eligimur, quamvis eligamur, ut ea consequamur per merita, ut consequimur gloriam.*

314. Dicent 3. Impossibile est, gloriam in tempore reddi, ut præmium meritum, & sit ab æterno prædestinata merè gratis, non præmissio meritum examine; siquidem, quod fit in tempore, eodem modo est ab æterno prædestinitum; alioquin alicui vellet Deus in tempore, quam voluit ab æterno; ergo &c. Respondeo argumentum laborare æquivocatione, quam sic distinguimus. Deus merè gratis elegit homines ad gloriam, & in ea electione gratis etiam voluit, ut gloriam obtinerent non gratis, sed ex justitia per merita conferenda ab ipso Deo ad hunc finem. De hoc tamen latius intra.

315. Dicent 4. D. Aug. probat prædestinationem, & electionem non fieri ex prævisis meritis ex eo, quod aliàs gratia non esset gratia; sed hoc inconveniens non sequitur ex eo, quod electio ad gloriam ita fiat; ergo &c. Respondeo retorquendo argumentum: Ex eo, quo augmenti gratiæ reddatur meritis de condigno, & perseverantia, & prima gratia obtineatur per merita de congruo, non sequitur, gratiæ non esse gratiam; ergo apud D. Aug. electio ad primam gratiam, ad augmentum, & ad perseverantiã fiet ex prævisis meritis; hoc autem est falsum; ergo &c.

316. Probatur tertio ex D. Prospero in *sentent. super cap. 8. Gallor. Qui salvantur, ait, idè salvi fiunt, quia illos voluit Deus salvos fieri: & qui pereunt, idè pereunt, quia perire meruerunt.* Idem tenet

ad excerpta Genuensium dub. 9. & lib. ad Rufinum de liber. arbit. Et lib. 1. de vocat. gent. cap. 17. & 24. & lib. 2. cap. 9. & aliis in locis. Ex D. Fulgent. de Incarn. & grat. cap. 31. Eisdem vivificari vult, quos vult salvari: Sic ergo quos vult, salvat, quemadmodum quos vult, vivificat. Et in epilogo lib. de Incarnat. & grat. Donum, inquit, illuminationis ad credendum, & donum perseverantiae ad proficiendum, & permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, preparavit. Et idem probat lib. 1. ad Monim. à cap. 7. usque ad 10. & cap. 14. & lib. 1. de Incarnat. & grat. cap. 31. ad finem. Et Petr. Diacon. lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. Desinant, inquit, querere, cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat iusto, & occulto iudicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, & clamant unà nobiscum: O altitudo divitiarum! sed ex horum Patrum locis videtur satis constare, electionem ad gloriam fuisse factam ante praevisionem meritorum; ergo &c.

377. Dicent 1. D. Prosper. & D. Fulgent. assignant rationem, ob quam unus homo praedestinatus non sit; siquidem ille ad cap. 3. Gallor. Idem, ait, praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesenti sunt. Et hic lib. 2. ad Monim. cap. 1. Averso peccatoris, inquit, quoniam Deum futura non latuit, in aeterna praesentia preparatam sibi poenam invenit; ergo etiam deberent assignare rationem, ob quam unus potius, quam alius sit praedestinatus, qualia sunt merito praevisa; alioqui inconsequenter procederent. Respondeo ad reprobationem, quae est voluntas puniendi, praesupponi quidem praesentiam peccati absolute futuri, non ita tamen ad reprobationem, quae est negatio praedestinationis, seu voluntas non praedestinandi; quare autem illa ita praesupponat praesentiam peccati, & non ita electio praesupponat praesentiam absolutam meritorum, dicemus infra.

378. Dicent 2. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 24. ait: Deus praedestinavit ad regnum, quos ad se praeservavit misericordia praevientis auxilio redituros, & in se misericordiae subsequens auxilio remansuros; ergo praesentia meritorum praecedat praedestinationem. Respondeo consequentiam esse veram, si loquamur de praesentia meritorum conditionata, non autem absolute.

379. Probatur 4. ex D. Chrysostr. ad Coloss. 1. hom. 2. Non solum, ait, honorem nobis, sed & vires ad amplectendum eum dedit. Duplicatur enim honor per id, quod & idoneos ad collatum donum facit. Et infra. Nemo talem vitam conversationem ostendit, ut regno dignus esse possit, sed totum donum est ipsius Dei. Idem tenet 2. Thessalon. 1. hom. 3. & de laudib. Paul. hom. 4. & 9. & in psal. 50. hom. 2. & 2. Cor. 8. hom. 18. & saepe alibi, ut supra vidimus. Et ex D. Athan. serm. 3. contra Arianos. Quemadmodum, ait, elegit nos in se, ante facta fundamenta mundi, ut Sancti essemus, & incontaminati coram ipso, cum iam animi benevolentia praedestinasset, ut nos sibi in filios adoptaret per IESUM Christum: ubi notandum est verbum animi benevolentia. Et ex Theodoret. ad Ephe. 1. Sicut elegit nos, ait, in ipso ante mundi constitutionem, &c. Et infra: Deinde honoris, & libertatis magnitudinem admirans, subiunxit: secundum propositum voluntatis suae, hoc enim, inquit, voluit, hoc ei placuit. Et ex Theophylact. ad Coloss. 1. Qui dignos nos fecit, &c. Sorrem, ait, ubique vocat, ut ostendat, quod quemadmodum fors non est humanae diligentiae, neque conatus, sed fortunae potius videtur; hanc ad rationem non ex nostris virtutibus regno digni iudicamur, sed divina totum est gratia.

Probatur quintò ex D. Hieron. ad illud Ephe. 1. Sicut elegit nos, &c. Secundum, ait, propositum voluntatis suae, non secundum opera nostra. Et ex D. Greg. lib. 33. Moral. cap. 20. Quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum, & eos, quos respicio, non iniuste derelinquo. Nemo quippe, ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Et infra: Nemo Deum meritis praevinit, ut tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo aequus omnibus conditor, & quosdam praeelegit, & quosdam in suis pravis moribus iuste derelinquit. Nec tamen electis suis pietatem sine iustitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit: nec rursus reprobis iustitiam sine misericordia exercet, quia hic aequanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Et ex D. Anselm. ad Rom. 8. Antequam quidquam boni, aut mali egissent, &c. Propositum, inquit, iustificationis manet, non secundum debiti, sed secundum gratiae electionem, qua eligendos facit Deus, non invenit, quia Deus facit, ut homines faciant opera, qua Deus possit eligere. Ex quibus Sanctorum Patrum locis citatis sufficienter constat, nostram praedestinationem fuisse factam ante merita absolute praevisa. Hoc idem videntur sentire plures alii, qui poterant hic à nobis citari, & possunt apud citatos Doctores videri.

Probatur sextò ex Concil. Valentian. sub Leone IV. cap. 3. ibi: Fidenterq, fateamur, praedestinationem electorum ad vitam, & praedestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum; in damnatione autem peritorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium, &c. ex quibus verbis manifestè probatur praedestinatio ante merita praevisa; reprobatio autem post praevisa absolute demerita; ergo &c.

Dicent primò nomine vitae ibi intelligi sola auxilia efficaciae gratiae. Sed contra, quia ibi nomine mortis, ad quam praedestinantur impii post praevisa demerita, intelligitur poena aeterna; ergo etiam nomine vitae, ad quam praedestinantur electi, intelligitur gloria aeterna. Dicent secundò Patres ibi locutos de praedestinatione inefficaci. Sed contra, quia haec, ut supra diximus, est communis etiam reprobis; Patres autem ibi agebant de praedestinatione salvandorum, consequenterque de efficaci.

Probatur septimò ex Concil. Arausican. can. 25. ibi: Aliquos ad malum divina potestate praedestinos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni desperatione in illos anathema dicimus. Ex quo Concil. negat, Deum ex se praedestinare aliquem ad malum poenae ante praevisionem demeritorum; ergo è contra agnoscit Deum ex se praedestinare ad bonum, tam gratiae, quam gloriae ante merita praevisa. Confirmatur ex Trid. Sess. 6. cap. 16. ibi: Bene operantibus usque ad finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filii Dei per IESUM Christum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Ex quibus verbis notanda sunt illa gratia, misericorditer, quae videntur significare gratuitam electionem ad gloriam, tradendam tamen ut mercedem.

## SECTIO XVII.

## Probatnr nostra Sententia ex rationibus.

324. **P**RÆSUPPONENDUM est, seclufa Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Theologorum autoritate, nullam dari rationem, quæ veram sententiam de causa prædestinationis evidenter concludat; nam sicut, ut supra diximus, de potentia Dei absoluta possibile fuit, quod Deus prædestinaret electos ante eorum merita absolute prævisis; ita etiam possibile fuit, nullam prædestinari, nisi prævisis ejus meritis absolute futuris. Unde in rebus, quæ ex divinis Attributis neque necessarid consequuntur, neque illis repugnant, sed ex mera Dei libertate potuerunt sic, aut aliter se habere, debet solidum cujusque fundamentum desumi à divina revelatione, qua Deus sua libera consilia manifestaverit, sive per sacras Scripturas, sive per Doctores Ecclesiæ, ideoque hæc solas rationes congruentiæ pro nostra sententia assignabimus: Sit igitur:

325. Prima ratio, omne agens rationale prudenter, & ordinate operans, prius intendit finem, quam eligat media; sed Deus prudentissimè, & ordinatissimè operatur; ergo cum gloria sit finis, merita autem sint media, prius intendit Deus ipsam gloriam, & postea eligit merita ut media. Confirmatur, quia ex communi Philosophorum axiomate, quæ sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione; sed gloria est posterior in executione; ergo fuit prior in intentione divina.

326. Dicent, Deum ita prius intendere finem, quam media, voluntate tamen inefficaci, nõ verò efficaci. Sed contra primò, quia intentio finis debet esse accommodata electioni mediõrum, ita ut modus electionis mediõrum bene indicet modum intentionis finis; sed electio mediõrum est efficax; siquidem per illam eliguntur auxilia finalia in ordine ad gratiam perfectam, & consummatam, ex quibus oritur perseverantia finalis; ergo etiam efficax debet esse intentio finis, sive gloriæ.

327. Secundò, quia voluntas inefficax finis in Deo non potest esse principium eligendi media efficaci: tum quia illa voluntas inefficax est generalis, & æqualis, tam erga prædestinatos, quam erga reprobos; ab æquali autem voluntate finis non potest oriri voluntas inæqualis mediõrum, maxime in Deo, qui vult, & disponit omnia ordinatissimè; alioqui dicant ab æquali calore in agente physico posse oriri inæqualitatem in passo: & ab æquali assensu principiorum inæqualitatem assensus in conclusione: tum etiam, quia illa voluntas generalis salvandi omnes est ad omnes gradus gloriæ possibile, & per omnia media possibile, ut supra diximus; hæc autem intentio est ad certos gradus gloriæ, & per certa tantum media, ut infra dicemus; ergo non potest non esse diversa.

328. Secunda ratio, omnes actiones liberæ, quæ possunt præstare rationem, aut causam prædestinationi, procedunt ab auxilio gratiæ; sed hoc est effectus prædestinationis; ergo hæc præsupponitur prius firmiter constituta, quam prævideantur actiones meritorie absolute futuræ; siquidem hæ non prævidentur, nisi prævisio auxilio, neque hoc prævidetur, nisi prævisa prædestinatione, à qua procedit ut effectus à sua causa. Confirmatur, quia omnia bona opera supernaturalia sunt effectus præ-

Tom. 1.

destinationis, ut infra dicemus; ergo non possunt esse ratio, aut causa illius.

329. Tertia ratio, voluntas divina est prima causa movens ad quodcumque bonum; ergo congruentius est, quod pro sua libertate constituat media prædestinationis in ea persona, in qua voluerit; quando, quo gradu, & modo voluerit, quam quod expectet prævisionem nostræ actionis futuræ; alioqui jam primum movens, & prima causa erit aliquo modo ex parte nostra, quatenus voluntas divina movetur à nostris actionibus prævisis, ut ad hunc potius hominem, quam ad illum inclinetur.

330. Quarta ratio, Prædestinatio habet pro fine ostensionem divitiarum gloriæ Dei in vasa misericordiæ, juxta illud ad Rom. 9. 23. *Ur ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: & laudem gloriæ gratiæ suæ; juxta illud ad Ephes. 1. 6. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratis cavuit nos*; sed si merita prævisa fuissent in causa, cur Deus hunc potius hominem, quam illum eligeret ad gloriam, tantundem minueretur ille finis, ut patet ex illo ad Rom. 11. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*; ergo &c.

331. Confirmatur primò, quia si Deus ex prævisis meritis eligeret ad gloriam, nulla in eo esset major gratia, liberalitas, aut misericordia erga prædestinatos, quam erga multos reprobos; siquidem cum gratia, liberalitas, & misericordia sit in eo, quod conferat auxilia supernaturalia, & bene utentibus promittat præmium excellentius, quam pro dignitate meritorum; plurimis autem reprobis conferat uberiora auxilia, quam quibusdam prædestinatis, & omnibus, si bene utantur, promittat tale præmium, quod ita illud decernat iis, qui prævidentur morituri in gratia, & illa bene uturi, jam est iustitia, & nihil habet gratiæ, liberalitatis, & misericordiæ præter id, quod supponebatur in decretis generalibus; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

332. Confirmatur secundò, quia hæc est major laus potentiæ divinæ; siquidem majoris potentiæ est prædestinando causare media, quibus finis acquiratur, quam illa supponere prævisa. Ut notat D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. Tertiò, quia id imponit bene operantibus majorè obligationem agendi, & referendi gratias per dilectionem, & magis se ipsos despiciendi, & humiliandi, quatenus si Deus illis prædestinationis gratiam subtraxisset, non evasissent cæteris peccatoribus meliores; ergo &c.

333. Quinta ratio, discrimen prædestinatorum à reprobis provenit à Deo; sed non ita proveniret, si Deus ex prævisis meritis prædestinaret; siquidem jam tunc prædestinatus per sua bona opera prævisa se ipsum à reprobo discerneret contra illud 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Confirmatur, quia adversus superbiæ tentationes, quæ ex sanctitate provenire solent, hæc est Sanctorum vox: *Nullus est me vilior, nam si Deus alteri, quæ mihi beneficia conferreret, fortè magis se Deo devovisset: & si me sicut illum alium latronem auxiliis peculiaribus destituisset, eadem, & graviora scelera perpetrasset*; sed nulla virtus, qualis est similis actus, potest mendacio nitii; ergo ut hic humilitatis actus à veritate procedat, debet procedere ab ea, quam intendimus probare de discrimine efficaciter, & infallibiliter causado à Deo pro sua libertate sine ulla ratione discriminis causanda ex parte nostra.

E e

Sexta

334. Sexta ratio, Deus quibusdam negat copiosa auxilia, quibus sciebat bene usus, si acciperent; & illa aliis confert, quibus scit male usus; ergo ratio prædestinandi hunc potius, quam illum non sumitur ex præviso bono usu gratiæ; siquidem in hoc decreto conferendi aliquibus auxilia, & negandi aliis, nullus bonus usus prævisus est, ut absolute futurus. Confirmatur, quia Christus Dominus apud aliquas civitates miracula edidit, & conciones habuit, quarum bonus usus, quia non erat futurus, non fuit prævisus; & tamen eadem auxilia negata sunt gentibus, quæ si accepissent, converterentur, ut patet ex illo Matth. II. 21. *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone, &c. Et Ezech. 3. Si ad populum ignora lingua mittereris, ipsi audirent te*; ergo &c.
335. Septima ratio, parvulorum aliqui statim à Baptismo moriuntur, alii paulò ante Baptismum, aliis non datur potestas accipiendi Baptismum, aliis post Baptismum producitur vita usque ad senectutem inter infideles, quorum mores Deus certò præscivit imituros; sed ex his discrevit Deus prædestinatos à reprobis, nullo præviso usu gratiæ; cum tamen, qui statim à Baptismo salvantur, sint filii aliquando sceleratissimorum parentum, qui autem sine Baptismo damnantur, sint aliquando filii Sanctorum Parentum; ergo prædestinavit Deus eodem modo adultos etiã ante prævisa eorum opera, cum hoc fuerit congruum, & consonum illius ingenio. Hoc argumento usus est variis in locis D. Aug. ut in *epist. 105. & 157. lib. 2. contra Julian. cap. 8. lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 7. & lib. de corrept. & grat. cap. 8. & lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 13. & sæpè alibi.*
336. Dicunt primò aliqui, de quibus D. Aug. *Epist. 106. ad Paulin.* infantes prædestinari, aut reprobari propter quosdam suos actus bonos, aut malos, quos etiam in utero habuerunt: *Sicut*, inquit, *Jacob & Esau in utero materno luctati sunt, & alter alterum inter nascendum supplantavit.* Sed contra, absurdum enim est infantibus concedere usum liberi arbitrii; ad luctam autem Jacob, & Esau rectè respondet D. Aug. *ibid.* *Illud non fuisse arbitrium, sed prodigium, & signum rerum magnarum:* de quibus dicit Apostolus ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.*
337. Dicunt secundò Semipelagiani, de quibus D. Prosper in *epist. ad Augustin.* ad initium. *lib. de prædestinat. Sanctor.* parvulos prædestinari à Deo propter opera bona, quæ Deus prævidebat facturos, si viverent; reprobari autem propter opera mala, quæ viderit Deus facturos, si non morentur. Horum tamen sententiam jam refutavit D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 12. & sequent. & lib. de bono persever. cap. 9. & 10. & Epist. 105.* his potissimum argumentis.
338. Primò, quia Apostolus 2. Cor. 5. docet, futurum ut in altera vita referat quisque, non secundum id, quod fuisse facturus, sed *prout in corpore gessit*, id est, secundum id, quod gessit dum in corpore viveret. Secundò, quia omnes Catholici sentiunt, Deum optimè agere cum illo, qui ex hac vita eripitur, antequam in aliqua peccata incidat, in quæ alioqui incideret, si viveret; sed id verum non esset, si illa etiam peccata, quæ parraturus esset manens in vita, deberent etiam à Deo judicari; ergo &c. Tertiò, quia cum quis morte præoccupatur, ne alioqui committat aliquid, propter quod damnetur, magnum à Deo accipit beneficium, ut patet ex illo Sap. 4. *ibi: Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et infra: *Raptus est, ne malitia*

*mutaret intellectum ejus.* Et adjungitur ratio: *Quoniam Deo erat placita anima illius;* sed hæc nullum haberent locum, si opera mala, quæ quis facturus esset manens in vita, possent illi damnationem afferre; ergo &c.

Quartò, quia si Deus in hominibus judicandis non solum respiceret ad ea, quæ fecerint, sed etiam ad illa quæ essent facturi, posita hæc, aut illa conditione, sequeretur Tyrios, & Sidonios nullo modo esse damnandos; nam si apud illos factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in Bethsaida, & Corozaim, olim in cilicio, & cinere egissent poenitentiam, ut ait Christus Dominus Matt. II. & Luc. 10. sed hoc est fallum; siquidem isti in die judicii damnabuntur, licet remissius, quam illi ex Bethsaida, & Corozaim, ut ibidem affirmat Christus Dominus; ergo &c.

Dicunt tertid alii, infantes, qui sine Baptismo decedunt non perire, neque damnari, sicque potuisse relinqui sine prævisa causa ex parte illorum. Sed contra, quia licet id non sit præsentis institui, supponimus tamen certum esse pueros sine Baptismo decedentes puniri poenâ damni, ut notavit D. Aug. *lib. de bono persever. cap. 12.*

Dicunt quartò alii prædestinationem, aut reprobationem parvulorum provenire, ut à ratione, seu causâ, à præscientiâ futuræ mortis, quam causæ naturales suis viribus reliquæ quibusdam affertur. Sed contra primò, quia Deus quorundam adultorum voluntates excitat & allicit, ut huic parvulo Baptismum conferant, aut ut copiam faciant baptizandi suos filios; alios autem permittit esse protervos, aut negligentes; ergo jam inter istos parvulos datur discrimen, cujus ratio non provenit ex prævisâ virtute causarum naturalium. Secundò, quia Deus quibusdam parvulis miraculo manifestò, aliis autem occulto produxit vitæ terminum, donec baptizarentur; sed hujus liberalitatis quibusdam præstitit, & aliis negatæ, nullâ potest esse causa; ergo &c.

Octava ratio, quia maximè decet membra suo capiti esse simillima, quantum patitur functionum & potestatum diversitas; sed Christus Dominus est caput, & exemplar omnium prædestinatorum, ut infra dicemus, & fuit ante omnia merita prævisa prædestinatus, ut infallibiliter haberet merita, & per illa obtineret gloriam sui corporis, & reliquorum prædestinatorum; ergo omnia illius membra debuerunt similiter prædestinari ante eorum merita prævisa; siquidem Deus, ut ait D. Paul. ad Rom. 8. 29. *Omnes nos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* ergo &c.

Nona ratio, quia prædestinationem, ut reconditum Dei arcanum, admiratur D. Paul. Rom. II. 33. *O altitudo divitiarum sapientia, &c.* & occulta esse prædestinationis judicia, tradunt etiam Patres, de quibus supra; sed si omnes prædestinarentur ex prævisis operibus, jam in discrimine prædestinatorum à reprobis non essent admiranda consilia, & judicia Dei, sed hominum diversa, & libera studia, à quibus, & non à divino consilio ac judicio fuisset determinatum illud discrimen, quod tamen non videtur dicendum; ergo &c.

Decima ratio, idèd Deus non elegit prædestinatos efficaciter ad gloriam ante prævisa merita, aut quia non decuit, aut quia non potuit: Non primum, siquidè Deum maximè decuit ostendere sua Attributa, illa autem ostendit in electione ante merita prævisa, in qua manifestat suam Justitiam, Liberalitatem, Misericordiam, Fidelitatem, &c. Non

Non secundum; tum quia contrarium supra probavimus: tum etiam, quia si Deus potuit prædefinire efficaciter opera libera ante eorum præscientiam visionis absolutam, & ita de facto prædefinit, quatenus eorum prædefinitio prout sic spectabat ad perfectissimam illius providentiam, & dominium supra creaturas, cur etiam non potuit sic eligere ad gloriam ante merita absolute prævisa?

345. Confirmatur primò, quia Deus ante merita prævisa voluit dare electis auxilia congrua ad conservationem gratiæ finalis, in quo eos plus obligavit, quàm reprobos, quàmvis etiam aliquibus reprobis dederit auxilia congrua ad gratiam temporalem, non tamen finalem; sed in tali voluntate non potuit non velle eis etiam ipsam gloriam, aut formaliter, aut virtute; siquidem velle alicui gratiam finalem, est velle ei salutem infallibiliter consequendam; ergo jam Deus intendit efficaciter gloriam ante merita absolute prævisa.

346. Confirmatur secundò exemplis: Primò, quia Deus eodem signo, quo prædestinavit Christum Dominum ad existentiam, illum prædestinavit gloriosum in anima, & corpore, ut docet *D. Aug. tr. 105. in Joan.* & tamen non habuit gloriam corporis in tempore sine suis meritis; ergo illam decrevit Deus ab æterno ante prævisa merita passionis, consequendam tamen in tempore per ipsa merita. Secundò, quia Virgo Sanctissima ante prævisa merita in esse absoluto fuit efficaciter electa à Deo ad ejus Maternitatem, ut significat Ecclesia: *Elegit eam Deus, & prælegit eam*; & tamen non obtinuit in tempore hujusmodi Maternitatem sine suo consensu libero, & merito, saltem de congruo; ergo Deus illam decrevit ab æterno sine meritis absolute prævisis, consequendam tamen in tempore per ipsa merita. Tertiò, quia Deus ante prævisa merita Apostolorum, & D. Pauli elegit eos ad Apostolatam juxta illud: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: Et illud: *Vas electionis est mihi iste*; & tamen non illum receperunt in tempore sine suo consensu libero; ergo ab æterno fuerunt electi sine meritis ad Apostolatam, consequendum tamen in tempore per sua merita; ergo similiter prædestinati homines fuerunt ab æterno electi ante prævisa merita ad gloriam, consequendam tamen in tempore per sua merita.

SECTIO XVIII.

Proponuntur, & solvuntur argumenta ab autoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum desumpta.

347. **OP**ONES I. Multa sunt Scripturæ loca, quibus constat, vitam æternam à Deo itaquam mercedem, & præmium destinari bene operantibus, sicque conferri ob merita prævisa, cujusmodi est illud *Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*: Et causam assignat: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Et illud *Jacobi 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & heredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Ubi promissionis, sive electionis causam assignat dilectionem. Et illud *1. Cor. 2. Nec oculus vidit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum*: ubi eandem dilectionem assignat pro causa præparationis regni.

Tom. 1.

Et illud *2. Petr. 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: si enim per bona opera electio fit certa, etiam fit efficax; nam idem est esse efficax, ac certum; si autem per bona opera fit efficax; ergo talis non erat ante prævisa opera; sicque in aliis similibus locis.

348. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem: Ad primum; & secundum locum dicimus: Primò pro nobis facere, ut patet ex supra dictis *num. 284. & 311.* Secundò hujusmodi loca, sicut & illud *1. Cor. 2.* intelligenda esse, non de præparatione in mente divina per intentionem; hæc enim fuit ante omnia opera prævisa, sed de præparatione possessionis per executionem, quæ fit per merita jam prævisa; ita enim Deus præparavit electis gloriam sine meritis in intentione, ut illam præparaverit tradendam in executione per sua merita. Ad illud *2. Petr. 1.* dicimus, terminum certum idem esse, atque sortientem effectum; tunc enim electio dicitur in re efficax, quando sortitur effectum; cum autem hunc non sortiatur electio efficax, nisi post prævisa bona opera, idè per illa dicitur fieri certa, licet in executione.

349. Instabis: In illis verbis: *Discedite à me maledicti, &c.* Et *Matth. 25.* per particulam enim assignatur causa reprobationis & in intentione, & in executione, cum dicitur: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; ergo idem dicendum de electione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio constabit infra.

350. Oppones 2. ex *Matth. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et *Matth. 25. Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam.* Et *Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum, &c.* Et *Isai. 64. Quæ preparasti expectantibus te*: ex quibus, sicut & aliis similibus locis constat, Deum tribuere gloriam ex meritis jam prævisis; ergo &c. Respondeo Deum ita quidem tribuere in executione, non ita tamen præparare in intentione, ut patet ex supra dictis.

351. Oppones 3. *D. Paul. 2. Tim. 2. Si quis, ait, emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, &c.* ubi per *vas in honorem* intelligit electum ad gloriam; & tamen ibi assignat electionis causam emundationem; ergo &c. Respondeo Apostolum non id proferre, quasi mundities sit ratio electionis ad gloriam in intentione, sed gloriæ tradendæ in executione per munditiam, sive merita, prout diximus.

352. Oppones 4. Aliqua sunt Scripturæ loca, in quibus præscientia divina anteponitur prædestinationi, ut *Rom. 9. Quos præscivit, & prædestinavit, &c.* *Rom. 11. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Et *1. Petr. 1. Electis advenis secundum præscientiam Dei Patris.* Et *Amos 3. 1. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: & similibus*; ergo significatur præscientiam meritorum fuisse priorem prædestinatione ad gloriam. Respondeo primò, argumentum, si aliquid probaret; etiam probare, gratiam congruam datam esse post præscientiam meritorum, & propter illa, quod nemo dixerit; siquidem de illa etiam in præsentem locutus est Apostolus.

353. Respondeo secundò, non esse ibi sermonem de præscientia meritorum absolutâ, sive de aliquâ scientiâ visionis, sed de præscientia aut simplicis Intelligentiæ, ut ait *D. Thom. ad cit. locum D. Pauli*: aut de scientiâ approbationis, & amicitia, sive perpetuæ dilectionis erga electos, quæ idè dicitur præscientia, quia re, & ratione antecedit omnem bonum usum liberi arbitrii, ita ut sensus

sic: Quos Deus præcivit scientiâ approbationis, sive, quos dilexit prædestinavit: ut rectè dicit P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 13. & P. Tanner. d. 3. q. 5. dub. 5. n. 4.

354. Oppones 5. ex aliquibus Scripturæ locis constat, aliquos fuisse electos, ac prædestinatos occasione ruinæ, ac peccati aliorum; sic enim S. Mathias dicitur electus in locum Judæ. Actor. 1. 24. Ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, & apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas: Sic Gentiles in locum Judæorum Matth. 21. 43. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Et ad Rom. 11. 11. Sed illorum delicto, salus est gentibus. Sic etiam poenitentium gloria pendet ex eorum præcedentibus peccatis: gloria Martyrum, Doctorum, ac Virginum pendet ex crudelitate tyrannorum, ex perfidia hæreticorum, & ex tentationibus hominum, aut dæmonum; ergo si permissio peccati alterius fuit prævisa ante electionem prædestinati ad gloriam, idem dicendum est de aliis mediis, ac meritis salvandorum.

355. Respondeo ex his, & aliis similibus locis non colligi, aliquos dici prædestinatos occasione ruinæ aliorum; quod autem salventur præsuppositis, seu permissis aliorum peccatis, totum hoc pertinet ad executionem, non autem ad intentionem, quam Deus habuit dandi illis gloriam, quæ cum fuerit ante omnia eorum merita prævisa, etiam fuit ante peccatorum permissionem, à qua eorum merita præsupponenda peccata dependebant. Neque illud Sancti Mathiæ intelligendum est de ejus electione ad gloriam, sed ad Apostolatam, ut ait idem textus; alioqui posset colligi, Josephum, qui tunc non fuit electus, non fuisse etiam prædestinatum ad gloriam, quod est absurdum.

356. Oppones 6. Ex illo Rom. 11. 33. O altitudo divinarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c. quod D. Paulus accommodat arcano prædestinationis, videtur Apostolum sentire dari aliquas causas prædestinandi potius hunc, quam illum hominem, quas tamen ipse cum admiretur, ignorat; alioqui facilè fuisset pro ratione hujus discriminis recurrere ad divinum beneplacitum, nullo præsupposito examine futurarum actionum; ergo &c. Hoc idem videntur sentire D. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. & epist. 105. ad Sixtum. & lib. de prædest. Sanct. cap. 9. & 14. & lib. de bono persever. cap. 14. & cap. 8. & lib. de corrept. & grat. cap. 8. & sæpè alibi. D. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. 13. 21. 22. & 25. D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 4. & lib. 29. cap. 15. aliàs cap. 21. D. Isidor. lib. 2. sentent. cap. 6. D. Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. cap. 28. & alii. Ante solutionem.

357. Advertendum est primò cum P. Ruz, hic d. 9. sect. 3. num. 2. D. Paulum, D. August. D. Prosper. D. Fulgent. & alios Patres manifestè docuisse, nullam dari rationem discriminis, sive manifestam, sive occultam ex parte prædestinati, propter quam hic homo potius, quam ille alius prædestinetur, ut patet ex eorum locis citatis sect. 16. Ut tamen præsentem locum D. Pauli, & horum Sanctorum Patrum testimonia locis proximè citatis explicemus. Advertendum est secundò, decretum Dei prædestinantis dupliciter considerari posse: Primò quatenus efficaciter vult perducere in beatitudinem hanc determinatam & singularem personam, v. g. D. Petrum potius quam Judam: Secundò quatenus non in singulari, & determinatè, sed in communi, & indeterminatè statuit modum illum

providendi, quo non omnes, sed tantum aliqui, aliis relictis, prædestinentur ad gloriam. Hoc posito.

358. Respondeo ad argumentum in illa prima acceptioe nullam dari, neque manifestam, neque occultam rationem discriminis in prædestinato præter liberrimam, & merè gratuitam Dei voluntatem, ut patet ex supra dictis, sicque supra dicta testimonia D. Pauli, & aliorum Patrum non intenderunt istiusmodi rationes occultas asserere: in secunda autem acceptioe, existunt quidem rationes ex parte Providentiæ divini, ob quas unum, & non alium convertat, & prædestinet efficaciter, quæ cum nobis, licet ex parte sint probabiliter notæ, non sint cognitæ evidentè, & totaliter, & multò minus comprehensivè, dicuntur occultæ, & has Apostolus, & citati Patres se ignorare fatentur, & D. Aug. dicit in Enchir. cap. 95. esse in beatitudine cognoscendas. Imò lib. 11. de gen. ad litter. cap. 10. postquam dixit, Deum non omnes homines convertisse, quia noluit, cur noluerit, penes ipsum est, adjungit ipse rationem generalem ex majore perfectione univèrsi.

359. Oppones 7. Plures ex Sanctis Patribus, præsertim Græcis, quique D. Aug. antecesserunt, docuerunt prædestinationem post præscientiam absolutam meritorum; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex eorum locis supra citatis sect. 16. Respondeo secundò, dato, quod aliqui ex his Patribus hanc habuerint sententiam, eisque fuisset adversatus D. Aug. quasi electio, de qua contra Massilienses disseruit, esset electio ad gloriam, ut falsò docuerunt Sixtus Senensis, Driedo, & Ruard. apud P. Tanner. d. 3. q. 5. dub. 5. num. 6. nihil id nostræ sententiæ præjudicare, cum sententia D. Aug. quæ in hac materia de prædestinatione cæteris præferenda est, pro nobis sit, ut patet ex illius locis supra citatis sect. 16.

360. Respondeo tertio cum D. Aug. lib. de bono persever. cap. 18. & 19. quem citat & sequitur P. Tanner. proximè num. 10. Patres illos antiquiores, qui D. Augustinum præcesserunt, obscurius quidem, nec ita ex professo hac de re disseruisse; imò verò non dum exorta Pelagianorum hæresi, liberius & securius fuisse locutos; re ipsa tamen hac in re minimè D. Augustino fuisse contrarios, sive sermo sit de prædestinatione ad gratiam, sive ad gloriam, sed utramque existimasse fuisse gratuitam, ut patet ex eorum locis supra citatis. Additur Sanctos Patres nonnūquam, cum electionem ad gloriam meritis prævisis tribuerent, locutos fuisse, non de prima intentione, seu prædestinatione ad gloriam, sed de voluntate executiva.

361. Oppones 8. D. Aug. (qui in hac materia est majoris ponderis) lib. 1. ad Simplician. q. 2. Nemo eligitur, ait, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur: Unde quod dictum est: quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ; ergo ex D. August. electio ad gloriam supponit præscientiam absolutam meritorum ex gratia, quibus ille, qui eligitur, jam distet ab eo, qui rejicitur, sive non eligitur. Respondeo primò cum P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 15. D. Aug. in illo quidem loco illam docuisse sententiam, postea tamen eam retractasse; siquidem quaestiones illas ad Simplicianum junior scripsit; senior autem jam factus scripsit ad Sixtum, & ad Paulinum epist. 105. & 106. & lib. 6. de prædest. Sanct. de bono persever. & de corrept. & grat. in quibus contrariam docet sententiam, ut patet ex supra cit. locis.

Non

362. Non placet primò, quia D. Aug. lib. 1. de prædest. Sacer. cap. 4. mentionem facit illius quæstionis ad Simplicianum, quam ibi, non solum non retractat, sed maxime commendat, quatenus in ea dicit fuisse laboratum pro libero arbitrio, & gratiam Dei vicisse. Secundò, quia eundem modum loquendi, quem habet in illa quæstione, videtur servare in superioribus libris, etiam in locis, in quibus maxime videtur stare pro electione ad gloriam ante merita, ut videre est in lib. de corrept. & grat. c. 7. ergo etiã in hoc loco significat propositum vocandi antecedere electionem, & vocationem congruam, seu effectum talis vocationis prævisum, esse rationem electionis, ut intendit argumentum. Unde.

363. Respondeo 2. cum P. Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 18. n. 4. D. Augustinum aliquando mutasse, seu variasse loquendi modum, esto illius sententia sit ubique eadẽ. Duplex igitur electio distingui potest ex eodem D. Aug. tract. 68. in Joan. una per modum intentionis, alia per modum executionis; illa antecedit merita, hæc autem sit ex meritis; undè D. Aug. in illa quæstione ad Simplicianum loquitur de electione executiva, qualis est illa Matth. 13. Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: in aliis verò locis de intentione electionis, seu prædestinationis.

364. Instabis: Electio executiva est temporalis, cum sit executio electionis æternæ; sed D. Aug. loco cit. ad Simplicianum loquitur de electione æterna, eum adducat testimonium D. Paul. ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; ergo non loquitur de electione executiva. Resp. cum eodem P. Soar. cit. & P. Bellarm. cit. cap. 14. in ipsamet æternâ electione posse illas duas rationes distingui, nempe ut est intentio dandi gloriã, & ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina: priori ratione antecedit quidem electio, siquidem gloria in genere causæ finalis est prior, quam bona opera; posteriori autem modo subsequitur, & de illa ut sic videtur loqui D. Aug.

365. Oppones 9. Ex eodem D. August. serm. 7. de Verbis Domini. ibi: Elegit nos Deus, sicut inquit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam: ubi duplicem videtur assignare electionem, alteram ad gratiam, quæ sit merè gratuita, alteram ad gloriam, quæ sit ex iustitia ex prævisis meritis. Et appositis verbis ad Rom. 11. Reliqui mihi septem millia, &c. Quid est, ait, reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal: ubi electionis causam assignat prævisam fiduciam in Deo collocandam; ergo &c. Respondeo D. August. ibi de utraque electione & ad gratiam, & ad gloriam asserere, quod sit merè gratuita, ut hunc sermonem legenti patebit, subdit enim ibi: Totum gratia semper reputa, quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit. Additur, licet ageret de electione ad gloriam ex iustitia ob merita prævisa, intelligendus est de electione executiva, non autem in intentione, prout supra diximus.

366. Oppones 10. Ex eodem D. Aug. serm. 233. de Tempor. Multi, inquit, scire volunt, quare illum vocat Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non; hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illum cruciat. Audi, o homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro suis operibus malis: ubi videtur asserere prædestinationem, & reprobationem fieri ex operibus bonis, aut malis prævisis; ergo &c. Respondeo D. Aug. ibi populo proponere rudi Minerva eam veritatis partem, quæ illis erat utilior, subtiliore par-

te tacità. Verum quidem est in reprobo causam reprobationis esse mala opera: in prædestinato autem sunt bona opera, quæ causat ipsa prædestinatione, prout infra dicemus.

Oppones 11. Ex eodem D. Aug. lib. de prædest. Dei cap. 3. ibi: Ex præscientiã igitur offensiois ultionem ut iustus iudex prædestinavit, sicut ex præscientiã virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis. Ubi ponit reprobationem, sicut prædestinationem ex prævisis operibus malis, aut bonis; ergo &c. Respondeo cum P. Ruiz. h. c. d. 10. sect. 5. n. 14. hunc librum non esse D. August. siquidem illius brevitatis comparata cum argumenti dignitate, & amplitudine, stylus, ac rationum nexus indigna videntur tanti Doctoris ingenio. Additur, dato quod sit D. August. eodem modo huic, quo duobus præcedentibus argumentis respondendum.

Oppones 12. Ex eodem D. August. lib. ad articulos sibi falsò oppositos ad art. 12. ibi: Quia præfati sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate, ac virtute mansuri: ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini labendi; ex quibus videtur colligi prædestinationem fuisse factam ex prævisione futuri usus liberi arbitrii; ergo &c. Respondeo primò cum P. Ruiz. cit. num. 16. librum illum non esse D. August. sed illi falsò imponi.

Respondeo secundò, (cum author illius libri sit D. Prosper apprimè Augustinianus, ea verba scribens ad object. Vincent. respons. 12. sine,) postrema verba indicare sensum totius sententiæ, ita ut D. Prosper velit, prædestinationem esse causam totius boni usus, qui præfatur in prædestinatis esse futurus, quæ præscientia absoluta subsequitur eorum prædestinationem in intentione dandi illis gloriam, licet sit prior illà in executione: reprobationem autem, aut negationem prædestinationis non esse causam mali usus, qui præfatur futurus in reprobis, de hoc tamen infra.

Advertes, ad penetrandam mentem D. Aug. in locis jam adductis, & explicatis, & in aliis, quæ adduci possunt, & explicari, multum juvare si recolas D. Aug. juxta morem Scripturæ, prædestinationem aliquando significare nomine præscientiæ, ut constat lib. de bono persever. cap. 17. ibi: In sua, quæ falli, mutari, non potest præscientiã, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare. Et infra. Hæc, ait, Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo, præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Et cap. 18. Eadem prædestinatio, inquit, aliquando significatur nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit. Hoc quod, ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit; loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, &c.

## SECTIO XIX.

Proponuntur, & solvuntur argumenta à ratione petita.

**A**RGUES 1. Ideò Deus eligeret ad gloriam ante prævisa merita, quia cum hæc sint media, & illa sit finis, agens, seu operans ratioale, qualis est Deus, prius debet intendere finem, quam eligat media, ut supra diximus

diximus *num. 325.* sed in electione efficaci mediorum, saltem virtute, intenditur etiam efficaciter finis; siquidem electio ipsa mediorum est in ordine ad finem; ergo necessaria non fuit alia præcedens intentio formalis ipsius finis, ut operatio esset prudens. Respondeo negando consequentiam: nam perfectior modus operandi est exequi medium per electionem formalem ipsius medii, & formalem intentionem finis, quam per solam intentionem virtuales finis, & electionem formalem medii: sic enim perfectius est cognoscere causam, & effectum formaliter, quam hunc cognoscere formaliter, & illam solum virtualiter: cum autem Deo de facto concedendus sit perfectior modus operandi, sicut & cognoscendi; idè dicendum est, prius intendisse formaliter finem, & postea formaliter eligere media, ne casu, & sine consilio videatur media ipsa elegisse, si ante formalem intentionem finis illa eligat.

372. Argues 2. Benè potest electio efficax mediorum oriri ex intentione inefficaci finis; sic enim Deus de facto elegit reprobis plura media efficacia ex solâ inefficaci intentione salutis: imò sine ulla intentione salutis potest Deus providere media efficacia ad illam; ergo ex electione efficaci mediorum non benè arguitur Deum habuisse antecedenter electionem efficacem ad gloriam. Respondeo negando antecedens; neque enim possunt eligi media efficacia, ut efficacia quin saltem virtute efficaciter intendatur etiam finis: cum autem hæc intentio virtualis finis non sit in Deo ita perfecta, ut est formalis, idè hæc, & non illa est absolute Deo tribuenda, ut modo perfectiori operetur. Ad probationem dicimus media illa efficacia reprobis præstita in ordine ad consequendam justificationem temporaneâ dupliciter considerari posse: primò in ordine ad ipsam justificationem temporaneam, & gloriam Dei inde ortam, & prout sic sunt quidem efficacia, cum habeat infallibiliter effectum, non tamen prout sic procedunt ex illa intentione generali dandi gloriam, sed ex speciali intentione ipsius justificationis, & gloriæ Dei inde ortæ: Secundò in ordine ad gloriam in re consequendam, & pro ut sic sunt inefficacia, cum gloria in re non acquiratur, & procedunt ex illa intentione inefficaci dandi gloriam, quam Deus habet circa reprobos.

373. Instabis: Licet electio medii efficacis quâ talis requirat intentionem efficacem finis, non ita requirit electio medii efficacis non quâ talis, sive absolute, & specificativè sumpti; sed Deus elegit prædestinatis media non quâ efficacia; alioqui cum æquè eligat media reprobis, ea elegisset quâ inefficacia, consequenterque ut non habitura effectum, quod non est dicendum, videretur enim eis insidiari, ut ait P. Less. ergo &c. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem, nam in ipsis mediis sic præstitis ut efficacibus ponunt Doctores speciale beneficium, quod Deus contulit prædestinatis præ aliis.

374. Neque inde sequitur Deum tribuisse reprobis media inefficacia quâ talia, sive sub ea intentione, quod non consequerentur effectum; potius enim tribuit sufficentia, sive sub ea intentione, ut haberent effectum, permittendo tantum eorum inefficaciam ob alium finem, nempe ut ostenderet in illis suam Justitiam, sicut in electis Misericordiam, aut ob alios fines, quos ipse scit; eligendo tamen illa ut efficacia ipsis electis. Patet, quia quando quis prævidet medium efficax ad finem consequendum, & illud eligat, ut efficax eligat, & in eo

efficaciter, saltem virtute intendit ipsum finem; sed Deus ante illam mediorum electionem prævidebat ipsa media esse efficacia ad salutem, & illa elegit; ergo illa elegit ut efficacia; consequenterque efficaciter intendit ipsam salutem, saltem virtute, ante merita absolute prævisa.

Urgebis: Deus absque intentione efficaci salutis potuit eligere media efficacia ex sola efficaci intentione suæ gloriæ; siquidem tunc electio efficax mediorum proportionaretur intentioni efficaci finis, saltem remoti; ergo ex eorum electione non benè arguitur intentio efficax finis proximi, nempe salutis. Respondeo ad antecedens, sic potuisse Deum eligere de potentia absoluta, non tamen de lege ordinaria; nam secundum hanc magis consentaneum est, ut media eligantur ex intentione finis proximi, eique proportionentur, quam ex intentione finis remoti.

Patet, quia etiam intentio illa efficax divinæ gloriæ erat sufficiens, ut Deus ex illa tribueret reprobis media sufficientia; siquidem etiam hæc conducebant ad ipsam Dei gloriam; & tamen penè omnes admittunt intentionem inefficacem salutis reproborum, ex qua electio illa mediorum procedit, ut ita proportionetur intentioni ipsius finis proximi; ergo similiter in nostro eventu.

Argues 3. Tunc electio efficax mediorum præsupponit intentionem efficacem finis, quando eligens sibi, non verò alteri proponit finem consequendum; sic enim pater emendo libros elegit efficaciter media, ut filius doctus evadat, quin tamen efficaciter intendat finem, nempe sapientiam filii, quia hæc non est in manu patris, sed alterius à patre; sed Deus non sibi, sed hominibus proponit salutem consequendam; ergo opus non est, quod illam prius intendat efficaciter, quàm efficaciter eligat media. Respondeo negando majorem; licet enim Deus hominibus proponat salutem consequendam, electio efficax mediorum conducentium ad ipsam gloriam debet supponere intentionem efficacem ipsius gloriæ danda ob rationes assignatas, quin obstat, quod sit alteri intenta.

Patet primò, quia si Deus potest efficaciter eligere media ab alio exequenda, cur etiam non poterit efficaciter intendere finem ab alio consequendum? Secundò, quia ipsi Adversarii concedunt Deum in ipsa efficaci electione mediorum intendere etiam efficaciter, saltem virtualiter salutem; ergo à fortiori poterit eam sic intendere formaliter, cum sit perfectius. Tertio, quia Deus antequam prævideat liberam cooperationem voluntatis absolutam intendit efficaciter actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis; liberam observationem omnium præceptorum, & perseverantiam finalem, & ad illos habendos dat auxilia efficacia; & tamen hi sunt fines ab aliis, nempe ab hominibus consequendi; ergo &c. Quarto, quia Deus ante prævisa merita Christi Domini elicienda per voluntatem humanam liberam, decrevit redemptionem; & tamen finis redemptionis erat obtinendus per illa merita libera; ergo &c. Quintò, ab exemplo adducto, quia pater, qui potuisset ingenitum acumen præbere filio, & illius voluntatè efficaciter allicere, ut feridè & cōstanter animum applicaret ad studia, posset efficaciter velle filii sapientiam, anquam vellet illi præstare media requisita; sed Deus omnia illa potest, & facit in electis; ergo potest prius eis intendere efficaciter finem, nempe gloriam, quàm eligat, & præstet media efficacia ad illam consequendam.

Argues 4.

379. Argues 4. Deus proponit hominibus gloriam ut præmium meritorum ea lege, ut nullus adustus, nisi per merita illam consequatur; sed stultum quid esset, si Rex proponeret præmium ea lege, ut nullus præmio potiretur, nisi qui victor evaderet, velle efficaciter conferre uni præmium ut præmium, quin prius illum prævideat victurum in certamine; ergo neque Deus sic potest velle gloriam efficaciter tribuere ut præmium, nisi prævisis meritis. Respondeo minorem esse fallam, si sermo sit de supremo & sapientissimo Rege, qualis est Deus, licet sit verum de aliis Regibus. Patet, quia si Rex posset, cui vellet, conferre animum invictum, vires, artem militarem, & dexteritatem certandi, voluntatem inflammare ad certandum, adversariorum animos frangere, conatus eludere, aliisque artibus juvare: deinde certò præsciret Petrum infallibiliter victurum, si his mediis juvaretur, idem Rex prudentissimè decerneret efficaciter præmium certaminis conferre Petro ante præviam ejus victoriam, decernendo simul arma illa, aliaque media præbere, quibus præscit infallibiliter victurum; ergo cum Deus supremus Rex, & omnium sapientissimus hæc omnia possit, & præsciat, prudentissimè potest sic præmia decernere ante merita absolutè prævisa.

380. Argues 5. Sicut pœna dicit essentialem ordinem ad culpam, ita etiam dicit præmium ad meritum; sed Deus non potest efficaciter velle pœnam ante demerita absolutè prævisa; ergo neque præmium ante merita absolutè prævisa. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia sic intendere præmium provenit à Bonitate, & Misericordia divina, cui convenit sic intendere efficaciter præmium, & postea eligere media convenientia ad illud assequendum, procurando eorum executionem: at verò non ita provenit, imò repugnat ejus Bonitati intendere efficaciter pœnã, & postea eligere culpam ut medium, procurando ejus executionem; esset enim Deus causa culpe in ordine ad pœnam infligendam, sicut est causa mediocris, seu meritorum in ordine ad dandum præmium.

381. Instabis: Sicut gloria est meritorum corona, ita pœna est peccatorum supplicium; ergo si Deus potest intendere positivè gloriam ante prævisa merita, per illa tamen assequendam, poterit etiam intendere positivè pœnam ante prævisa demerita, per illa tamen assequendam. Resp. negando consequentiã quoad secundam partem; diversa ratio est, quia cum Deus de facto habeat ex se voluntatè positivam inefficacem salvandi omnes, nõ repugnat habere simul cum illa aliam voluntatè positivam efficacem salvandi aliquos; repugnat tamen habere cum illa voluntatè positivam perdendi aliquos ex illis; tum quia velle salvare & perdere, sive non salvare positivè ex sua voluntate sunt contradictoria: tum quia id non cõpaciatur cum Bonitate, & Misericordia divina, licet cum illis compatiatur, & illis non repugnet illa alia voluntas positiva perdendi aliquos, suppositis jam in esse absoluto eorum demeritis; siquidem tunc ad illam non movetur Deus ex se, sed ex ipsis demeritis jam prævisis.

382. Urgebis: Deus in illa electione efficaci electorum etiam vult non electionem reprobatorum; sed hæc eorum non electio est ante eorum demerita prævisa; ergo &c. Respondeo hujusmodi non electionem, cum non sit voluntas aliqua positiva, sed sola carentia actus efficaciter eligentis, non implicare in Deo, imò in illa offendit Deum suum dominium, quin deficiat in Misericordia, aut alicui injuriam inferat, cum simul habeat intentionem

illam generalem salvandi omnes, det ad id auxilia sufficientia, & horum effectum exoptet ex se, licet inefficaciter. Et si illa est aliquo modo reprobatio virtualis, & veluti inchoata, talis est ultra Dei intentionem, neque enim Deus illam intendit, sed sequitur ex eorum malitia, quatenus non acceptant ejus auxilia, neque cum illis cooperantur; non est tamen eorum reprobatio positiva; siquidem hæc connotat odium Dei, quod Deus non habet ante demerita prævisa in esse absoluto.

383. Argues 6. Ex eo, quod gratia detur in executione independentè à meritis, benè probant Theologi ex D. Aug. fuisse prædestinatam sine illis; ergo è contra ex eo, quod gloria non detur in executione sine meritis, benè probabitur non fuisse prædestinatam sine illis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ut gloria dicatur esse ex meritis, quin sit propter merita, opus non est, quod merita in esse absoluto præcedant ejus intentionem, sed sufficit, quod prima illa voluntas intendant non exequi, nisi post ipsa merita, & ex illis, & hæc sola intentio probatur ex illa executione, seu traditione gloriæ per merita: at verò quando executio est absolutè independentè à meritis, ut fit in electione ad gratiam, benè arguitur nullam præcessisse intentionem de ipsis meritis, sicque non exequi per merita.

384. Argues 7. Aut intentio illa efficax ante merita prævisa esset necessaria ad salutem; aut non: Si primum; ergo reprobi, qui illam non habent, non haberent omnia necessaria ad salutem, quod affirmate est impium: Si secundum; ergo superflue admittitur. Respondeo non esse absolutè, & simpliciter necessariam, esse tamen necessariam, ut Deus naturali, prudenti, & proportionato modo operetur in dandis auxiliis, intendendo scilicet prius finem, & postea ex illo eligendo media. Patet à simili, quia etiam advertentia intellectus non est simpliciter & absolutè necessaria, ut res aliena subripiatur; & tamen non idè est superflua, imò necessaria, ut libero, & humano modo fiat; ergo similiter in nostro eventu. Neque ex eo deficiunt reprobis necessaria ad salutem, ut ex infra dicendis constabit.

385. Argues 8. Si Deus ex se ante prævisa merita eligeret homines ad gloriam, deberet plures eligere; sic enim postulabat ejus Misericordia, Bonitas, & Liberalitas, imò potius æquitas, & justitia; alioquin si omnes non eligeret, sicut omnes ordinaverat ad finem supernaturalem, ad sanctificationem ante peccatum, ad vocationem post peccatum, ad redemptionem, oblationem sacrificii ipsius, & Sacramenta, videretur acceptor personarum, & injustus, atque inæqualis, contra illud Act. 10. 34. *Non est acceptor personarum Deus*; ergo &c. Respondeo 1. argumentũ eandem vim habere in contraria sententia asserente, præcedere electionem gratuitam ad gratiam, seu ad auxilia congrua, in qua etiam à Deo incipit prædestinatio. Undè si in ea admittunt Contrariũ, Deum sine injustitia, & dispendio suæ Misericordiæ, Bonitatis, Liberalitatis, & Æquitatis paucos elegisse, cum posset plures, curidem non admittent in nostra sententia? Quod igitur ipsi dixerint in sua sententia de electione sine meritis prævisis ad auxilia congrua, etiã & nos dicimus in nostra sententia de electione ad gloriam sine meritis prævisis; & hoc notandum ut plura argumenta possimus in Contrarios retorquere.

386. Respondeo secundò, numerum electorum absolutè esse quasi innumerum, ut constat ex Apoc. 7. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*

poterat: & forte majorem, quam reproborum, ut tenet *D. Thom. in 1. dist. 39. q. 2. art. 2. ad 4. & cum eo P. Tanner. hic d. 3. q. 7. dub. 5. num. 3.* Patet, quia licet inter homines multo plures sint reprobi, quam electi; inter Angelos tamen multo plures sunt Angeli electi, quam reprobi, ut multi docent ex illo *Apoc. 12. 4. Cauda ejus traherat tertiam partem stellaram;* ergo si ut communiter creditur cum *D. Dionys. cap. 14. Coelest. Hierarch. D. Greg. hom. 24. in Evang. & D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3.* longè major est absolute numerus Angelorum, quam hominum, valde credibile est ex utroque simul ordine, & Angelorum, & hominum, multo plures esse absolute electos, quam reprobos.

387. Dices: Sequitur, aut non totam ruinam Angelorum per homines restaurandam; aut majorem, quam tertiam hominum partem salvandam; siquidem cum tertia Angelorum pars ceciderit, ut constat ex textu citato, quæ est longè major tertia parte hominum, ad restaurandam tertiam partem Angelorum deficientium non sufficit tertia pars hominum salvandorum, sicque aut plus, quam tertia pars hominum debet necessariò salvari, aut non tota ruina Angelorum restaurabitur; sequela non videtur admittenda; ergo &c.

388. Respondeo cum *P. Tanner. cit. proxime num. 3.* locum illum *Apoc. cit. ad litteram non loqui de Angelorum, sed hominum justorum casu, qui per caudam draconis, id est Antichristi operam, sub finem mundi seducentur, ut etiam Recentiores alii interpretantur, licet per accommodationem, & allegoriam etiam ad ruinam Angelorum accommodari possit; non quod planè tertia pars, sed multo minor, quam dimidia pars ceciderit. De hoc tamen jam alibi, & iterum suo loco dicemus.*

389. Respondeo tertio ad argumentum, numerum electorum inter homines esse minorem, quam reproborum, quod tamen Deus ita voluit: tum ut suæ gratuita beneficentiæ affectus, ipsiusque beneficii magnitudo magis aestimaretur, quanto paucioribus communicatur: tum nè si inter eos constaret, majorem esse numerum salvandorum; timor Dei magis adhuc exularet inter homines, & vana præsumptio cum vitæ licentiâ conjuncta, magis invaleret; quando nec sic quidem satis possunt homines Dei, & salvationis timore cohiberi. In quem sensum loquitur *D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 10. & lib. 21. de Civit. cap. 12. & Epist. 106. ad Bonifacium.* Undè.

390. Ad probationem argumenti de ordinatione ad finem supernaturalem, &c. dicimus, omnia illa esse beneficia, & media cõmunia, ac generalia, necessaria; ad salutem, & idè æquitatem postulasse, quod omnes ad illa eligerentur: at verò prædestinatio non ita est, sed beneficium speciale, & non necessarium simpliciter ad salutem, idèdque æquitas non postulat, quod omnibus conferatur. Patet, quia Deus absque læsione æquitatis, ac injustitiâ soli Humanitati Christi Domini contulit unionem Hypostaticam; soli Virgini Sanctissimæ Maternitatem Dei; solis Apostolis apostolatam, sicque Patriarchis, Prophetis, & aliis Sanctis alia similia beneficia specialia; & tamen indè neque dicitur acceptor personarum, neque quis potest justè de eo conqueri, quatenus sibi similia beneficia non contulerit, quia specialia fuerunt, & gratuita, & non necessaria ad salutem, sicque similiter de beneficio, sive electione ad gloriam.

391. Inferes: Ergo cum Deus electis seligat gratias congruas, ut fiat opus ab eo prædestinatum; ita

etiam non electis debet seligere incongruas, nè fiat opus, quod ipse non prædestinavit; sicut enim ad speciale ejus providentiam spectat, ut salventur prædestinati, ita ad eandem videtur spectare ut non salventur non prædestinati. Respondeo negando illationem; neque enim opus fuit selectione gratiæ incongruæ, aut aliquâ speciali providentiâ circa non electos, nè eorum salus contingeret; siquidem eo ipso, quod Deus peculiari providentiâ gratias congruas selegit pro electis, incongruas communi providentiâ non electis reliquit, & decrevit, non ut incongruas, sed ut sufficientes, licet nunquam sint habituræ effectum.

Urgebis: In convivio nuptiali ad providentiam sponsi spectat, non solum curare, ut electi, nempe centum convivæ veniant, sed etiam nè plures veniant; ergo idem dicendum de Deo, si ex certo numero ad coelestes nuptias vocavit, & elegit. Idem argumentum fit de Architecto, qui ex innumeres faxis certum numerum selegit ad ædificium. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio, quia sponus (idem dicendum de Architecto, qui non habet simplicem affectum voluntatis, quo omnes etiam non efficaciter vocatos velit interesse cõvivio, sed affectum ita determinatum ad certum numerum, ut nec simplici voluntate plures adesse cupiat: at verò Deus aliter se habet, ut patet ex supra dictis; vult enim omnes homines salvos fieri voluntate saltem simplici, & inefficaci.

Argues 9. Ex hac electione ad gloriam ante prævisa merita oriretur socordia, & tolleretur sollicitudo bonorum operum in electis, & oriretur desperatio in reprobis; siquidem illi dicerent, si sumus prædestinati salvabimur infallibiliter: si non sumus prædestinati (dicerent hi) infallibiliter non salvabimur; quæ quidem retardant à bonis operibus, & possunt afferre desperationem. Imò quidam viri docti fassi sunt, se nescire, quo futuri sint animo, in religionis jugo ferendo, si eam sibi sententiam persuasum habeant; ergo &c.

Respondeo primò, hoc argumentum, (quo etiam Uti sunt Massilienses contra *D. August. (ut videre est ex D. Prospero in Epist. ad Augustinum)* eandem difficultatem habere in electione ad gratiam, quæ in Adversariorum, imò & omnium sententia (neque enim cum probabilitate contrarium dici potest) est à solo Deo ante prævisa merita, in qua etiã homo dicere potest: aut Deus me elegit ad gratiam finalem; aut non: Si primum, infallibiliter salvabor: Si secundum, infallibiliter non salvabor: sicque eadem indè socordia, & desperatio oriri potest. Deindè eodem argumento utuntur hæretici in præscientia divina infallibili, dicunt enim: Aut Deus præscit me salvandum: aut non salvandum: Si primum, infallibiliter salvabor: Si secundum, infallibiliter non salvabor; sicque dicunt, non salvabitur, qui bene operatur, si Deus præscit non salvandum, aut non elegit ad gratiam; neque condemnabitur, qui male operatur, si Deus præscit salvandum, aut elegit ad gratiam, quod argumentum cum hic non valeat, neque valet in electione ad gloriam ante prævisa merita.

Respondeo secundò negando antecedens; neque enim per illam electionem amittitur libertas, neque in electo, ut possit non salvari, neque in reprobo, ut possit non condemnari; ac proindè neque reprobos potest desperare de salute, cum adhuc possit eam assequi; neque electus otio traditur; siquidem potest eam amittere, si non labore; idèd enim dicit Apostolus ad Philip. 2. 12. *Cum metu, &*

tremore

removere vestram salutem operamini. Ad hujusmodi electionem nunquam posse causare desperationem in reprobis, licet posset misericordiam causare in electis; siquidem cum talis electio, ut diximus, necessaria non sit ad salutem simpliciter, posset ipse reprobis dicere: *volo laborare quia possum salvari sine illa electione*; ac proinde si non laboraverit, certò peribit, non certitudine. Ad illud, quod additur de viris doctis dicimus, alios viros etiam doctissimos, & sapientissimos, speciatim D. August. & D. Thom. aliter affectos fuisse; neque enim magnæ perfectionis est, idè Religionis jugum solummodo ferre, quia incertà quadam, licet probabilis opinione de modo prædestinationis ducis, aliàs jugum ipsum non laturus, cum sola obligatio diligendi Deum per se satis ad id momenti habere possit, & debeat.

396. Instabis 1. Idè ex electione ad ultimum auxilium efficacis non potest oriri fœcordia, aut desperatio, quia cum illud dependeat à cooperatione hominum, ex diligentia unius sit efficacis, & ex negligentia alterius sit inefficacis; sed non ita dependet electio ad gloriam; siquidem in manu hominum non fuit, quod illa poneretur, aut non poneretur, cum fuerit tota gratuita, ut dicitur; ergo &c. Respondeo negando minorem, prout jam supra negavimus: cum enim electio illa ad gloriam sit essentialiter dependens à consensu conditionatè futuro, & ab ejus Scientia Media, sicut talis consensus potuit esse causa, ut daretur in Deo illa Scientia, ita etiam potuit esse causa, ut poneretur in Deo illa electio; & sicut illa Scientia non causat in electis fœcordiam, ita neque illam causabit electio; nam sicut si ego ex fœcordia in tali, aut tali occasione operarer, Deus non haberet talem Scientiam, ita etiam non haberet talem electionem, sicque dependet à mea libera determinatione conditionatè futura; sicut etiam Scientia Dei absoluta dependet ab objecto absolutè futuro.

397. Instabis 2. Hujusmodi sententia videtur non multum discrepare à sententia hæreticorum hujus temporis; siquidem non minùs videtur tollere sollicitudinem bonorum operù, & inducere licentiam vitæ, quàm illa, quatenùs utraque videtur dicere: *Si sum prædestinatus, salvabor; si non sum prædestinatus, non salvabor*; cum utraque hæc sit certò, & infallibiliter futura; ergo &c. Respondeo negando antecedens; iniquum enim, & injustum est injustè aded ac tam gravi censurâ celebratissimam, & probatissimam à tot, tantisque viris Sanctissimis, & doctissimis sententiam gravari, quæ ab hæreticorum sententia plusquam toto cœlo differt, ut jam ostendo.

398. Primò, quia hæreticorum sententia tollit planè libertatem; nostra autem minimè; cui etiam falsò imponitur, quod quasi necessitatem extrinsecam inducat, cum solam inducat comitantem, seu subsequenter, quæ cum libertate stare potest. Secundò, quia illa Deum facit authorem, & impulsorem scelerum; non ita verò nostra. Tertiò, quia illa Deum facit Tyrannum, & injustum, quatenùs ante prævisionem peccatorum absolutam absoluto, & positivo decreto omnibus damnandis æterna decernit supplicia; quod nostra non facit, cum in illa gratuita electione ad gloriam solam apponat reprobationem negativam, sive non electionem ad gloriam. Quartò, quia illa, prout libertatem tollit, omnem rationem peccati tollit, sicque Deum facit iniquissimum Judicem, quatenùs illum tam severum statuit vindicem peccatorum, quæ devi-

Tom. 1.

tare non est in manu peccatoris; nostra autem minimè. An nè coincidit hæc nostra Catholicorum sententia cum illis hæreticorum hujus temporis erroribus, & deliramentis?

399. Instabis 3. Si Deus omnes non sic electos positivo decreto reprobasset, & veller hoc decretum sub specie benignitatis occultis modis exequi, non id commodius, & certius præstaret, quàm ratione illa, quam nos in nostra sententia statuimus, nempe res humanas sic dirigendo, & tales gratias illis præparando, cum quibus sciret certissime frustrandos effectum; ergo parum interest, quod sic positivè, aut negativè illos excludat à regno. Respondeo negando antecedens; falsum enim assumitur; nam si Deus ex se aliquos positivo decreto destinasset ad pœnas inferni, tunc veller, & procuraret media necessaria ad eum finem, nempe peccata, ad illaque impelleret, ut docet Calvinus, & ejus affectu, quod tanquam execrabilem blasphemiam deus statuit; aliter tamen se res habet in illa exclusione negativa à regno, ut patet ex dictis. Vide Calvinum lib. 3. Instit. cap. 22. §. 2. & cap. 23. §. 4.

400. Instabis 4. Deus ex se, & sola sua bonitate non statuit aliquid inutile, & perniciosum creaturæ; imò quo posito, melius esset homini non esse, quàm sic esse, ut patet ex illo Sap. 1. *Deus non laturus in perditione vivorum*; Et illo. Osee 13. *Perditio tua Israël; tantummodo in me auxilium tuum*; sed talis est reprobatio illa negativa; ergo &c. Respondeo majorem esse veram si sermo sit de decreto positivo culpæ, seu pœnæ quæ pœnæ, seu absolute de pœna æternæ damnationis, prout supra diximus d. 1. à n. 174. & à n. 134. in quo sensu intelliguntur citata Scripturæ loca; non autem de decreto permissivo, & reprobatione negativa, ut patet ex dictis.

401. Instabis 5. Sequeretur ex hac sententia, creationem reprobatorum, aliaque beneficia non esse beneficia, neque teneri pro illis Deo gratias agere; siquidem positâ reprobatione illâ negativâ, melius erat eis non nasci, ut de Juda dixit Christus Dominus, neque tot beneficia recipere, cum omnia fiant inutilia, & solùm ad majorem damnationem inserviant; ergo &c. Respondeo negando sequelam; cum enim Deus vero voluntatis affectu, (licet non efficaci) creet omnes, ut salvi fiant, ad idque omnia sufficientia offerat omnibus, solùm penes ipsos est, quod non omnes salventur, sicque omnibus in creatione beneficium cõtulit, pro quo debent gratias agere; & si ob supervenientem ex ipsis perditionem tollitur hoc gratitudinis debitum, ex eo augetur in electis gratitudinis affectus. Neque exemplum Judæ aliquid probat in contrarium, cum Christus Dominus loquatur de illius reprobatione positiva, non autem de sola negatione gratiæ congruæ.

402. Instabis 6. Sequeretur neque electos multum laudis & præmii promereri in eo, quod gratiæ sic præparatæ respondeant, & opera præfinita exquantur, & reprobos excusationem habere in eo, quod gratiæ incongruæ non respondeant, & opera bona sibi non præfinita non faciant; siquidem ex suppositione voluntatis divinæ aliter fieri non potuit. Respondeo negando sequelam; electi enim & laudem, & præmium promerentur, quia cum absolutè potuerint transgredi, non sunt transgressi: reprobi autem nullam habent excusationem, quia cum absolutè potuerint obedire, non obdiderunt. Undè stante illo decreto circa utroque, aliud ab utrisque fieri non erat impossibile, nisi

F f

im-

impossibilitate consequente, & in sensu composito, eo modo, quo utrisque erat impossibile aliter facere, positâ præcipientiâ divinâ.

403. Instabis 7. Licet omnibus sit possibile servare præcepta secundum quid, & consideratâ intrinsecâ dispositione voluntatis, cum huiusmodi tamen libertate, & dispositione potest stare impossibilitas absoluta; sic enim Christus Dominus (licet seclusâ Visione Beatâ) posset, spectatâ internâ dispositione voluntatis humanâ, non servare præcepta divinâ, absolute tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam divinam, debitam illi animæ ratione Unionis Hypostaticæ; sed hæc eadem assistentia deberetur electis, supposito decreto absoluto, respectu operum prædefinitivorum, & perseverantiæ; ergo &c. Respondeo supponi falsum, quod per prædefinitionem Dei absolutam tollatur saltem extrinsecâ libertas, & absoluta facultas faciendi oppositum, ut jam alibi ostendimus.

404. Ad exemplum de Christo Domino dicimus esse quid profus diversum, & dissimile, quia in Christo Domino erat intrinsecâ, & physica repugnantiâ cum peccato; tum ratione Unionis Hypostaticæ; tum ratione Visionis beatificæ, quarum utraque faciebat, ut non solum non haberet in eo locum transgressio præcepti divini, sed ne physicam omninò potentiam haberet ad illam; at verò in electis aliter ferres habet; siquidem in illis solum est protectio quædam Dei extrinsecâ talis, quâ infallibiliter in peccato mortali nõ decedent, licet absolute, & physicè possent peccare, & ita in peccato decedere, suffragante ad id scientiâ mediâ, quâ Deus præcognovit, si his, aut illis auxiliis preveniretur, eos infallibiliter, sed absolute liberè in gratiâ decessuros.

405. Argues 10. Deus in Scripturis omnes vocat ad salutem, hortatur justos ad perseverantiam, ad profectum, conqueritur de peccatoribus, perseverantibus in gratiâ promittit vitam æternam, non perseverantibus minatur mortem æternam; sed positâ hæc sententiâ non videtur hæc seriò facere, sed tantum in speciem, ut electis videatur justus, & severus, non electis autem benignus; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam cum electio sit ad gloriam, consequenda tamen per merita in effectu, necessaria fuerunt, & erunt hortationes, minæ, promissiones, & similia, ut habeantur mediâ, & peccata vitentur, ut sic cum metu & tremore nostram salutem operemur, ut ait Apostolus. Accedit, quod cum unusquisque, seclusâ revelatione sit incertus de sua electione; *Nescit enim homo utrum amore, an odio dignus sit: Eccles 9. I. meritò in qualibet vocatione timere debet, ne ab ea pendeat ejus salus, de qua debet esse maximè sollicitus, ut ait Apostolus: Satagite, ut per bona opera certam vestrâ vocationem, & electionem faciatis. 2. Petr. 1. 10.* Imò adhuc data revelatione, timere potest, nam ad rectè timendum satis est, si malum sit absolute possibile, quamvis ex suppositione aliqua non sit futurum; sic enim etiam in patria admittitur timor filialis, & fuga offensæ absolute possibilis, consideratâ naturâ ipsius Beati.

406. Instabis 1. Nemo prudens seriò, & ex animo potest desiderare, hortari, præcipere, ut fiat id, quod si re ipsa fiat, repugnabit operi antea designato, aut decreto antea concepto; sed ita accideret, si Deus, posito jam decreto de salvandis electis, adhuc desideraret, hortaretur, & præciperet non electis opera bona, ut salvarentur; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam Judex quem judiciali decreto damnavit ad pœnam, sæpè voluntate, & affectu simplici cupit absolvi; Magistratus

seriò, & ex animo desiderant, nullam violari legem, quod si fiat, repugnabit operi designato, aut decretis antea conceptis, nempe decretis, quibus decreverunt Fiscalibus stipendia ex transgressorum multis: pii Medici seriò, & ex animo affectu simplici cupiunt, ne ullus bonus vir ægrotet, quod tamen, si fiat, repugnabit operi, & officio decreto, quo ex sua se arte alere decreverunt. E ratio est, quia efficax propositum vnius rei sub una ratione, & desiderium, seu voluntas inefficax oppositi ex aliâ ratione non pugnant inter se.

Instabis 2. Insolens, & extra morem planè est inter homines, id promittere sub conditione, quod jam voluntate absoluta decreverunt; sed ita accideret, si Deus post decretum absolutum dandi gloriam electis, adhuc promitteret tradendam sub conditione bonorum operum; ergo &c. Respondeo negando majorem: aliquando enim parens promittit filio amplam hæreditatem sub conditione certi officii sibi præstandi, quam tamen aliâ jam ei ut filio designat. Et Princeps bravium, quod jam antea fideli servo designavit, potest ei promittere tradendum sub conditione certaminis, & victoriæ, si de victoriâ ab eo reportanda sit certus. Vide quid circa argumentum proximè adductum num. 405, dicat D. Aug. lib. de vero persev. cap. 14. & 15.

Argues 11. Hæc sententia videtur tollere zelum animarum, qui à Deo, & à Christo Domino maximè in Scripturis commendatur: tum, quia si omnes salvandi ante prævisionem mediorum sunt electi, salvabuntur, licet ego nihil prædicando, & monendo cooperer, sicque non est, quid multum angar in procuranda aliorum salute: tum etiam, quia quod in sanctis Viris valde excitat hunc zelum, est sibi persuadere, & spem habere, aliquos suâ operâ salvandos, qui alioqui damnarentur; hanc autem persuasionem, & spem ab illis excludit illa electio absoluta, & reprobatio negativa; sed illud non est dicendum; ergo &c.

Respondeo negando majorem, & ejus primam probationem: Primo, quia licet ordine intentionis decreta sit gloria præviâ mediâ, potuit tamen aliquando fieri, ut fieret quoad subsistendi consequentiam dependenter à certis mediis, quorum unum potest esse mea prædicatio, & monitio. Secundo, quia alia sunt motiva, quæ zelum animarum excitant, ut jam dicimus. Ad secundam probationem dicimus, si legantur Scripturæ, nunquam in eis, ut opinor, invenitur, Apostolorum aliquem sibi arrogasse, aliquos suâ operâ salvandos, qui alioqui sine illâ perirent, sed longè alia motiva sui zeli apud eos invenientur, qualia sunt: *Va mihi est, si non evangelizavero, &c. Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, &c. Qui parè seminat, parè & metet. Caritas Christi urget nos. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quod debuimus facere, fecimus. Servi inutiles sumus, &c.* Imò illam animi persuasionem existimo Christiane modestiæ non esse satis consonam.

Instabis: Si quis dicat, *Deus etiam hunc meum zelum absolute prædefiniit, & ut isti per me salventur.* Potero respondere: *Si ita est, nihil est, quod ego me ad illum excitem, ipse me excitabit;* sed in hoc tollitur ut superfluum animarum zelus, & sollicitudo; ergo &c. Respondeo Deum quidem excitare, sed non trahere, nisi ego spontè sequar, trahit enim volentem, ut ait D. Aug. non tamen hoc agitur, ut ego prior me excitem, à Deo non excitatus, sed ut excitantem sequar, & excitatus excitem,

excitem, seu potius animum applicem ad nova semper opera bona facienda.

411. Argues 12. Deus ex se, & sine nobis per primam electionem nos discrevit à massa perditionis juxta illud 1. Cor. 4. ibi: *Quis enim te discernit, &c.* sed talis discretio facta fuit per electionem ad vocationem congruam, sive ad seriem auxiliorum præventientium, quibus certissime sumus liberandi; ergo prima electio fuit ad gratiam, & non ad gloriam. Respondeo negando minorem; nam gratia congrua discernens electos à reprobis est sola gratia finalis; siquidem sola hæc est propria electorum; gratia autem finalis ordinariè non datur sine meritis antecedenter prævisis; & cum de se non sit necessitudo connexa cum salute, vix in ratione domini distinguitur, sive discernitur una gratia ab alia, nisi in eo, quod prius intendatur efficaciter salus ut finis, & ex illa eligatur ipsa gratia ut medium; sicque non per hujus, sed per illius electionem discernimur electi à massa reproborum.

412. Argues 13. Magis gloriosa sunt Deo nostra bona opera, quam nostra Beatitudo; sed Deus in eligendis prædestinatis prius respexit ad illud, quod ei erat magis gloriosum; ergo prius respexit ad nostra bona opera, ut per illa nos eligeret ad gloriam, quam ad ipsam gloriam habendam per nostra bona opera. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem; Deus enim, ut prudenter ageret, prius respexit ad finem, nempe ad gloriam, quam ad media, nempe ad merita: Imò aliquando elegit ad gloriam sine ullis meritis, ut fit in infantibus statim à baptismo decedentibus; & sine meritis propriis de condigno, ut fit in adultis decedentibus cum sola attritione, & Sacramento Pœnitentiæ. Accedit, quod Deus non elegit nos ad nudam gloriam, sed ad gloriam habendam per merita: gloriosius autem est Deo, seu magis auget ejus gloriam nostra Beatitudo simul cum meritis, quam sola merita per se sumpta.

413. Argues 14. Si electio ad gloriam esset merè gratuita, & ante merita prævisa, etiam postea haberetur gratis in executione; siquidem in executione inciperet à prima vocatione, ut à prima radice, quæ facta est gratis; hoc autem est contra id, quod supra diximus, nempe gloriam dari ut præmium, bravium, mercedem, & coronam; ergo &c. Respondeo gloriam dupliciter considerari posse: Primò ut integrat totam seriem prædeterminationis incipientis à prima vocatione; & prout sic præparatur, & confertur gratis, diciturque à D. Aug. gratia pro gratia: Secundò seorsim, prout est effectus præcedentium meritorum, & in hoc sensu, non gratis, sed de justitia confertur; eodemque modo dicendum est de meritis posterioribus, quæ dantur propter priora; nam si hæc considerentur ut integrant totam seriem prædeterminationis includentis primam vocationem, dicuntur dari gratis propter illam, à qua incipiunt: si autem seorsim considerentur ut effectus distincti à primis meritis, non gratis, sed ex justitia nobis conferuntur.

414. Argues 15. Hæc sententia sic populo explicata, parit scandalum, torporem, amaritudinem animi, & desperationem; siquidem multi ex illa in gravissimos marores, & desperationem sunt delapsi, & optimi viri eam graviter accusant, quasi qui metuerent sibi effrænem vitæ licentiam, si eam animum dimississent; ergo &c. Respondeo huic argumento jam supra satis respondiisse, quibus addimus: Primò hanc sententiam diligenter expensam, & benè intellectam apud animos pios, Deumque

Tom. 1.

timentes nullum parere scandalum, nisi fortè falsa quædam affingantur, ut prout sic etiam bonis redatur exosa, ut enim dicit Psalmista. Plal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

415. Secundò, in hac sententia nihil posse esse scandalum, summæ consolationis multum, quod Deus solâ suâ gratuitâ bonitate tot, ac tantos tum Angelos, tum homines prædestinavit ad gratiam, & ad gloriam, aliis prætermisissis, quibus nihil debebat, & utrisque interim libertate relicta & ad benè, & ad malè operandum, licet illi ante finem vitæ sint infallibiliter benè acturi, hi autem malè, atque in eo statu utrique juxta Præscientiam Dei Mediam decessuri. An non idem ferè in omni sententia dicendum? Videant ex supra dictis.

416. Tertiò, paucissimos ex illis, qui scandalizantur, eò præcisè scandalizari, quia nostram hanc sententiam sibi propositam habeant, sed aut quia eam non intelligunt; aut quia volunt (quod faciant bonis avibus) in oppositâ ire; aut occasione doctrinæ Calvinisticæ de prædeterminatione, quæ à nostrâ est alienissima, ut supra vidimus, & ostendimus. Quartò viris illis doctis, & piis, qui sic scandalizantur, alios doctiores, & sanctiores opponimus, quales sunt D. Aug. D. Thom. aliique quam plures à nobis supra relati.

417. Instabis: Plurimi sunt, qui occasione disputationum, quæ in Hollandia sunt habitæ, hujus sententiæ imaginatione sunt afflicti, & perturbati; ergo &c. Respondeo negando antecedens; neque enim perturbatio illa fuit ex nostræ sententiæ imaginatione, sed ex imaginatione Calvinisticæ sententiæ, quam toto cælo à nostrâ diversam esse supra diximus, & satis ex hæctenus dictis constat.

## SECTIO XX.

*Quid de electione ante prævisa mèrita per ordinem ad certas personas, & ad certos gradus gloriæ?*

418. **D**IFFICULTAS I. Utrum electio efficax ante prævisa mèrita extendatur ad omnes, qui salutem consequuntur? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 8. à n. 42. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. ibi: *Quos præseivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, &c.* Ubi comprehendit omnes electos, tam eximios, quam non eximios in sanctitate; siquidem omnes fuerunt imagini filii Dei conformes in gratia, & in gloria; ergo &c. Confirmatur, quia licet eximii plùs gratiæ, & gloriæ habuerint, non tamen habuerunt gratiam, & gloriam æqualem gratiæ, & gloriæ Filii Dei, nempe Christi Domini; & tamen dicuntur fieri ei conformes; ergo sic etiam dicuntur fieri ei conformes alii non eximii, licet non æqualem cum his habuerint gratiam, & gloriam; consequenterque de omnibus loquitur Apostolus, & omnibus communis fuit electio illa Dei efficax ante prævisa mèrita.

419. Probatur secundò ratione: Idèò non comprehenderet omnes, quia videtur esse specialis circa alios, & circa alios generalis: specialis circa illos, quos ab infantia, & toto vitæ tempore conservat in gratia; & quos toto vitæ tempore malè viventes convertit miraculosè ad finem vitæ, ut accidit

F f 2

bono

bono latroni: generalis circa illos, quibus non tam specialis benevolentia ostendit; sed ex inde non sequitur, siquidem licet ipsa electio in quibusdam sit magis occulta, quam in aliis, omnibus tamen est specialissima, quatenus Deus sub illa praesentia omnibus praeparat auxilium illud, quod futurum est efficax usque ad mortem, & sine merito proprio speciale tribuit donum perseverantiae, sine quo nullus salvabitur, ut docet *D. Aug. lib. de bono persever. cap. 1. & lib. de corrept. & grat. cap. 12. & 13. & c.*

420. Oppositam sententiam tenent aliqui prout supra diximus *num. 280.* pro quibus: Objicies 1. Praelecti non possunt peccare finaliter, & perire juxta illud Joan. 10. 28. *Non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea;* sed sic possunt peccare, & damnari plures ex salvandis juxta illud *Eccles. 31. 10. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & c.* ergo non omnes salvandi fuerunt electi in illa prima electione ante praevisa merita. Respondeo praelectos non posse quidem peccare finaliter ex suppositione Scientiae Mediae, qua Deus vidit non peccaturos; posse tamen absolute, praesciendo ad tali scientia; quamvis enim infallibiliter non ita peccabunt, quod solum indicant verba Christi Domini; in eorum tamen potestate est posse peccare; siquidem, ut jam supra diximus, praedestinatio non tollit, imò intendit libertatem, quatenus Deus vult quod praedestinatus per bona opera liberè salutem assequatur.

421. Advertes tamen hoc esse intelligendum de praedestinitis non confirmatis in gratia, qualis fuit Virgo Sanctissima; nam si sint ita confirmati, & confirmatio denotet negationem decreti, ac concursus indifferentis, & ejus determinationem ad solum bonum, tunc peccare non poterunt, sed erunt necessitati ad non peccandum: si autem confirmatio illa connotet negationem talis decreti, sed solum consistat in diuturna praeparatione vocationum congruarum pro singulis occasionibus peccandi mortaliter, ut non peccet, tunc cum illa stabit potestas ad peccandum, & amittendam gratiam, licet nunquam sint peccaturi, neque gratiam amissuri, quatenus Deus speciali providentia eos munit, tum frequenti vocatione congrua interna, tum etiam externa remotione occasionum peccandi.

422. Objicies 2. Aliqui salvantur interventu peccati alterius, aut proprii, quales sunt poenitentes, Martyres, Doctores, & Virgines, prout supra diximus *num. 353.* Sed hi non possunt eligi ante praevisa merita; siquidem Deus nequit praedefinire finem, quin praedefiniantur media connexa cum illo; Deus autem nequit praedefinire peccata, quae sunt media ad gloriam fines, sive ad illa merita; ergo electio ad gloriam ante praevisa merita non extenditur ad omnes. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dicimus; si peccatum esset unicum medium ad gloriam, & essentialiter connexum ex natura rei cum illa, tunc non potuisset Deum praedefinire efficaciter ipsam gloriam, quia necessaridè etiam praedefiniret, & vellet ipsum peccatum; cum tamen non ita sit; siquidem Deus plura alia habet media, quibus gloria possit acquiri, idèd potuit Deus omnibus antecederet velle gloriam efficaciter, & in hac voluntate abstrahere à peccato, quia non est essentialiter requisitum ad gloriam assequendam, postea verò jam praeviso peccato, potuit per medium illud gloriam velle, intendendo poenitentiam, Martyrium, & c. quae à peccato oriuntur, ex quo nihil sequitur contra electionem ef-

ficacem ad gloriam ante praevisa merita, cum hujusmodi electio non pendeat necessaridè à peccato, licet aliquando occasione illius obtineatur, prout diximus loco proximè citato.

Difficultas 2. Utrum hujusmodi electio efficax fuerit determinata ad certas personas, sive Angelos, sive homines in particulari, & ad certum eorum numerum? Affirmativè. Ita *D. Thom. hic, & variis aliis locis. Aristodorus. lib. 1. sum. cap. 10. ad 1. Durand. in 1. dist. 40. q. 1. a. 2. Greg. Major. Marfil. Caprol. Cajet. P. Valent. 1. p. q. 23. punct. 6. P. Soar. lib. 1. de Praedest. cap. 10. num. 2. & lib. 6. cap. 2. num. 6. P. Mol. 1. p. d. 23. a. 4. d. 1. memb. 11. & a. 7. P. Ruiz. hic d. 53. sect. 2. num. 10. P. Ariaga hic d. 36. sect. 5. subsect. 2. n. 37. & alii. Probatur primò autoritate Scripturae, & Sanctorum Patrum. Ex *D. Paul. 2. Tim. 2. Cognovit Dominus, qui sine ejus. Addito illo Ecclesiae, Deus, cui soli cognitus est numerus electorum, & c.* Et ad Roman. 11. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curaverunt genua ante Baal.* Et *Joan. 10. Bonus pastor proprias oves vocat nominatim.* Et *D. Aug. epist. 106. Certus est, inquit, Dei praesentia desinitus numerus, & c.* Et *D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 33. De plenitudine membrorum Christi praesentia Dei, quae falli non potest, nihil perdit, & nullo detrimento minus potest, & c.* Et idem habet *D. Aug. tract. 42. in Joan. & lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 27. & lib. de bono persever. cap. 18. & alii Patres, ex quibus supra probavimus praedestinationem ante merita praevisa.**

Probatur secundò rationibus: prima, quia Deo tribuendus est perfectior modus operandi, quando aliud non repugnat; sed perfectior operandi modus est electio terminata ad certas, & determinatas personas in particulari, & ad certum earum numerum, quam ad aliquas in communi, & indeterminatè; siquidem absolute perfectior est actus terminatus ad singularia, & determinata objecta, quam terminatus ad indeterminata, & communia; & aliud nulla ex eo sequitur repugnantia; neque enim ulla sequitur necessitas in libertate creata, nulla volitio peccati in illis, qui, supposito peccato, salvandi sunt; ergo & c.

Secunda, quia si Deus sua praedestinatione non eligeret certas & determinatas personas in particulari, sed ad id expectaret liberam earum cooperationem, sequeretur aliquot saltem homines se ipsos discernere, transeuntes à numero reprobatorum ad numerum in caelis descriptum; siquidem transirent absque Dei electione praedefiniente eorum discretionem, possentque inde gloriari; sed hoc est contra illud Apostoli. *1. Cor. 4. Quis enim se discernit, & c.* Et illud: *Non est volentis, neque currentis, & c. de quibus jam supra; ergo & c.*

Tertia, quia figulus voluntate sua determinat quamlibet luti partem, quam determinatè eligit in particulari, ut faciat vas in honorem; sed Deus habet se adinstar figuli in eligendis praedestinitis de massa possibilium, ut fiant vasa in honorem, juxta illud *Rom. 9. An non habet potestatem figulus, & c. de quo supra;* ergo illos eligit in particulari quoad certas personas, & earum certum numerum. Confirmatur, quia Deus neque creat, neque potest creare, quin sua voluntate decernat singulas res in particulari creandas; ergo neque praedestinare, quin sua voluntate decernat singulas personas in particulari salvandas.

Quarta, quia numerus electorum eos omnes, & solos complectitur, qui secundum propositum vocati sunt Sancti; sed non possunt esse vocati secundum

secundum propositum, nisi soli, & omnes singulares, & in particulari, quibus Deus aeterno suo proposito decrevit talem vocationem, quã sciebat esse salvandos; ergo &c. Confirmatur primò, quia qui temperat sortes, ille sua prædestinatione disponit, ut istis potiùs, quàm illis, æterna felicitas sorte contingat; sed Deus hujusmodi sortes temperat, prout vult; ergo &c. Secundò, quia Jacob, & Esau, prout supra diximus, proponuntur in exemplum prædestinatorum; sed Jacob priùs quàm aliquid boni, aut mali egisset, sicque non ex operibus, sed ex vocante electus est determinatè, & in particulari; ergo &c.

428. Argues 1. Electus potest suam coronam amittere, & alius non electus eam accipere juxta illud Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; ergo neque illius electio, neque hujus reprobatio fuit certa, & determinata, sed à multitudine electorum ei contingit transire ad numerum reprobatorum, & è contra. Respondeo neminem posse amittere coronam, quam habet ex vi suæ prædestinationis in sensu composito cum ipsa prædestinatione supponente Scientiam Mediam, licet sic possit in sensu diviso ab illis juxta id, quod supra diximus. Cùm tamen hæc ipsa prædestinatio juvetur salutarimetu amittendi coronam, ut cum metu & tremore nostram salutem operemur, idèd per illa verba Deus nobis intendit hunc metum incutere. Imò de factò permittit Deus, plurimos justorum amittere coronam, quam habebant suam, & sibi debitam ex merito gratiæ, quam finaliter amiserunt.

429. Argues 2. Numerus, cui potest additio fieri, non est certus; sed prædestinatorum numero potest additio fieri juxta illud Deuter. 1. *Addat Dominus ad hunc numerum multa millia*. Ubi glossa exponit: *Ad hunc numerum deservitum apud Deum, qui novit, qui sint ejus*; ergo &c. Respondeo cum D. Thom. hic a. 7. ad 1. illud esse intelligendum de hominibus, quos Deus novit esse suos per gratiam, & secundum præsentem justitiam; horum enim numerus augetur, quando peccatores convertuntur; sicut etiam minuitur, quando justii mortaliter peccant.

430. Argues 3. D. Thom. hic q. 23. a. 6. probat certitudinem prædestinationis ex infallibilitate providentiæ, cujus illa est pars, ut supra diximus; sed providentia non semper assequitur quemlibet finem intentum, ut etiam supra diximus; ergo neque prædestinatio; consequenterque non erit certa. Respondeo D. Thomæ probationem hanc esse: *Providentia divina consequitur infallibiliter quemlibet finem, quem absolutè a voluntate intendit; sed prædestinatione intenditur æterna gloria per absolutam voluntatem Dei; ergo infallibilis est, & certa hujus finis affectio*. Ex quo nihil contra nos, imò pro nobis probat.

431. Argues 4. Si Deus potest revocare voluntatem prædestinandi Petrum, Petrus non erit prædestinatus; consequenterque ejus prædestinatio non erit certa; sed Deus potest illam voluntatem revocare; siquidem hujus irrevocabilitas respectu talis objecti non est major, quàm respectu aliorum objectorum; Deus autem respectu aliorum potest revocare suam voluntatem juxta illud Jerem. 18. *Si penitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego penitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Et Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*. Et Isai 38. *Dispone domui tue, quia morieris, & non vives*. Ubi constat, Deum suam voluntatem revocasse; ergo &c.

432. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, Deum propriè penitentiam non agere, neque suum decretum absolutum, qualis est prædestinatio, revocare, licet revocet punitionem comminatam, quam ab æterno decreverat sub conditione, & eo sine prædixerat, ut homines respicerent, & ad penitentiam confugerent, quã remissionem impetrarent illius pœnæ sine dubio infligendæ, si conditio poneretur, non positã penitentia; cum autem fuerit posita penitentia, idèd voluntas illa Dei puniendi non habuit suum effectum, qui ab illa conditione dependebat.

433. Argues 5. Quod est in nostra potestate facere, aut non facere certum, id non est simpliciter certum; siquidem cùm possimus omittere illud, à quo fit certum, non simpliciter, sed contingenter est certum; sed in nostrã potestate est nostram electionem facere certam, ut patet ex illo 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*; ergo nostrã electio non est simpliciter certa. Respondeo primò distinguendo majorem: non est simpliciter certum, si non habeat infallibilem præscientiam, & omnipotentiam faciendi, ut infallibiliter, & certò velimus, & faciamus; concedo majorem: si habeat; nego majorem: cùm autem nostrã prædestinatio secum habeat adjunctam præscientiam, quã Deus præscit, quibusnam mediis adhibitis certò cooperabimur, & omnipotentiam, quã potest illa media opportunè applicare, & impedimenta removere, idèd certa, & infallibilis est simpliciter.

434. Respondeo secundò non improbabiler ab aliquibus explicari illud D. Petri, non ut simpliciter nostram vocationem certam faciamus, cùm sit simpliciter certa, sed ut faciamus magis certam per opera supererogationis, cui favet verbum illud: *Magis*; quod ibi apponit dicens: *Magis satagite, &c.* & illud quod sequitur: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum*: ubi notandum est illud: *abundanter*; sicque hæc major certitudo non accrescit prædestinationi divinæ, sed nostræ securitati, & fiduciæ.

435. Argues 6. D. Paulus certus erat, se esse prædestinatum, ut patet ex illo 2. Tim. 1. 12. *Scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*; & tamen optabat carere effectu prædestinationis, qualis est perfectissima unio cum Deo per visionem, & amorem, cùm diceret Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis*; ergo prædestinatio D. Pauli poterat effectu suo frustrari; consequenterque non erat certa. Respondeo illud desiderium D. Pauli non esse absolutum, neque plenam volitionem, sed tantum velleitatem quandam, & desiderium conditionatum, quo potest appeti bonum, præscindendo illud ab aliquo malo, quod habeat adjunctum, & ab aliqua suppositione, qua fit impossibile, & sic præscindebat D. Paulus per hoc suum desiderium à conjunctione cum peccato, sine quo de lege ordinaria nullus separatur à Christo; & præscindebat à præsupposita prædestinatione, & ejus certitudine, cum qua stare non potest illa separatio à Deo, quam D. Paulus videtur optasse, si opus foret, ad spirituale salutem sui populi, dummodo sine proprio peccato contingeret, in quo D. Paulus supremum charitatis gradum & Paulo dignum ostendit. De hoc tamen latius infra dicemus.

## SECTIO XXI.

Quid de electione ante prævisam  
merita per ordinem ad certos  
gradus gloriæ?

436. **D**IFFICULTAS I. Utrum Deus in illa electione cuiuslibet certæ, & determinatæ personæ certum, ac determinatum gradum gloriæ præparaverit, ac defini- verit? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. de 1. de prædest. cap. 10. n. 4. P. Tanner. hic d. 3. q. 5. dub. 6. n. 4. P. Arriaga hic d. 36. sect. 5. subsect. 2. num. 37. & alii communiter. Probatur primò ex illo Joan. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multe sunt. Si quò minus dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. ubi D. Aug. tr. 68. ibi: Quomodo vadit, & parat locum, si jam multe mansiones sunt? Et infra responder. Mansiones præparavit, & præparat, nec alias, sed quas præparavit, has præparat, qui fecit, que futura sunt: quas præparavit prædestinando, præparat operando. Et D. Bern. serm. 23. in Cant. ibi: Non omnibus, ait, uno in loco frui datur gratia. & secretà sponsi præsentia, sed ut cuiq; paratum est à Patre, non enim nos ipsum elegimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos, & ubi unusquisque positus fuerit, ibi erit. Ex quibus, & aliis tùm Scripturæ, tùm Sanctorum Patrum locis satis constat, Deum nobis prædefinire certas gloriæ mansiones, sive gradus consequendos in executione per nostra bona opera.*

437. Probatur secundò rationibus: Prima, quia si talis electio non fuit ad certos gradus gloriæ: aut fuit ad hos, vel illos vagè, & indeterminatè: aut determinatè ad alios majores, vel minores, quàm postea deberentur prædestinatorum meritis: Non primum; talis enim modus operandi est valdè imperfectus, & Deo alienus, ut supra diximus: Non secundum, alioqui Deus in sua dispositione fuisset deceptus, aut postea mutaret suum propositum, quæ sunt absurda; ergo &c.

438. Secunda, quia hic modus electionis ad gloriæ non repugnat libertati creatæ, neque gratiæ, neque justitiæ, neque divinæ perfectioni, & providentiæ: Non primum, quia Deus per hanc intentionem non mutat voluntatem creatam, impediendo ejus modum operandi, sed potiùs ei accommodat media, sive auxilia, quæ illam moveant suaviter, & infallibiliter ad effectum liberum: Non secundum, nam respectu electorum illis fit maximum beneficium; respectu autem non electorum, non idèd eis denegatur sufficiens gratia: Non tertium, quia cum Deus sit liber, & supremus Dominus, conferendo huic beneficium, & alteri non negando debitum, nulla est injustitia: Non quartum, quia potiùs talis modus est consentaneus perfectioni providentiæ divinæ; neque enim Deus in suis actibus procedit confusè, & indeterminatè, quod arguit imperfectam cognitionem, sed distinctè, & in particulari, quod arguit perfectiorem cognitionem, & modum operandi perfectiorem; ergo &c.

439. Tertia, quia quod aliquibus conceditur & aliis non repugnat, omnibus concedendum est; sed nullus negabit, Beatissimam Virginem fuisse præelectam ad cumulum gloriæ, quam habet; (idemque suo modo dicendum de Sancto Josepho, Sancto Joanne Baptista, Sanctis Apostolis, aliisque Sanctis præcipuis) & hoc idem omnibus aliis non

repugnat, ut vidimus; ergo idem omnibus concedendum est. Confirmatur, quia ipsa varietas effectuum, & mediiorum nobis ostendit hujusmodi fuisse Dei intentionem; ergo &c.

Quarta, quia Deus Creatoris munus perfectè non ageret, si ipse mensuram, locum, & ordinem unicuique membro non præscriberet, sed hominis arbitrio id committeret, postèque homo dignos facere majores, aut minores, oculos, aut aures in alia sede collocare, majores, aut minores, sicque de aliis contra illud Matth. 16. *Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubicum unum; ergo etiam supernaturalis Authoris munus perfectè non exerceret, nisi ipse, & non uniusquisque sibi, mensuram, locum, & ordinem præscriberet unicuique membro sui corporis mistici, quod est Ecclesia. Confirmatur primò, quia sigillus (idem est de architecto) omnibus vasis, præfertim illis, quæ sunt in honorem, modum, ac mensuram præscribit; alioqui non plene arti lausfecisset; sed Deus se gerit ut sigillus; prædestinati autem ad gratiam, & ad gloriæ sunt quasi vasa in honorem juxta illud ad Rom. 9. 21. *Non habet potestatem sigillus luti, &c.* ergo &c. Secundò, quia electio æqualiter fertur in finem cuius, & in finem cui; sed in finem cui, nempe in personas fertur certè & determinatè, & non confusè, & indeterminatè, ut diximus; ergo etiam sic feretur in finem cuius, nempe in gloriæ.*

Oppositum tenent aliqui asserentes, electionem non fuisse ad certum, & determinatum gradum gloriæ ante prævisa merita, sed hunc post præscientiam meritorum fuisse quasi approbatum à Deo per quandam voluntatem complacentiæ, quod alferuisse videtur ex timore, si non tollendi omninò, saltem minuendi libertatem, si ita omnia in particulari prædefiniantur. Sed sic opinantes, timerunt certè ubi non erat timor, ut patet ex dictis, & quia non agnovissent Scientiam Mediam certissimam, & infallibilem, qua posita, nulla est difficultas in componenda libertate circa omnia media cum fine præfinito in particulari quoad certum gradum, & perfectionem intensivam: pro illis tamen:

Oppones 1. Si id esset verum sequeretur: Primò hominem in hac vita posse pervenire ad eum statum gratiæ, ultra quem non posset crescere; siquidem cum habeat prædefinitum gradum gloriæ, etiam prædefinitum habet gradum gratiæ; non autem potest excedere gradum à Deo prædefinitum: tùm quia jam non esset prædefinitum: tùm etiã quia jam quod Deus absolūtè prædefiniret, non esset certum, & infallibile. Secundò, per Deum stare, nè homo sanctior fiat; licet enim magis, ac magis labore, nunquam poterit excedere gradum prædefinitum à Deo; sed utraque sequela est falsa; ergo &c.

Respondeo negando utramque sequelam; ad primam enim dicimus, Deum sic uniuscujusque actiones disponere, ejusdemque vitæ progressum, ut tunc ipsius vita finiatur, quando illa gratiæ mensura impletur, sicque quamdiu homo vixerit, semper poterit in gratia crescere, quin prædestinatio illum impediatur, ejusque libertati repugnet, cum supponat Scientiam Mediam, & ei fuerit accommodata illa electio, & prædefinitio. Ad secundam dicimus, semper omnibus à Deo parata esse auxilia, quibus possint in gratia crescere, quantum voluerint, qui si nolint, per ipsos, non autem per Deum stat, nè fiant sanctiores.

Oppones 2. Deus in illa voluntate salvandi omnes,

omnes; quam diximus generalem non determinavit, neque certas personas, neque certos gradus gloriæ, sed quoad utrosque fuit voluntas, & electio indeterminata, & indefinita; ergo hæc non repugnat in Deo. Respondeo negando antecedens: nam Deus in illa solum ordinavit ad gloriam personas illas, quas simul decrevit creare, & harum numerus erat certus, & determinatus; siquidem Deus non decrevit creare in communi, & indeterminatè, sed hos, & illos determinatè, & in particulari. Deinde gradus gloriæ, ad quos illos ordinavit, non erant omnes gradus absolutè possibiles, sed illi tantum, qui de lege ordinaria erant possibiles unicuique juxta auxilia ab ipso Deo illi præparata majora, aut minora, prout ei placuisset; hi autem gradus erant certi, ac determinati, ac ut tales à Deo cogniti.

445. Inferes: Ergo non benè supra diximus hujusmodi voluntatem, & electionem generalem non esse ad certas personas, neque ad certos gradus gloriæ. Respondeo negando illationem: idè enim id diximus, ut voluntatem illam inefficacem distingueremus ab hac electione efficaci, quæ non ita generaliter tendit, sed magis determinatè cuiuslibet certæ personæ certos gloriæ gradus assignat in effectu consequendos, quod illa non habet; cum hac tamen differentia (ut aliqui notant), quod Deus ex se propriè, ac determinatè ordinaverit efficaciter, nè gloria hujus, & illius prædestinati esset minor; quod autem non sit major, ita decreverit, ut quantum est ex se, majorem præoptaverit, sed inefficaciter.

446. Oppones 3. Deus in illa electione efficaci non designavit, etiam negativè, certum numerum reprobatorum, neque certos gradus pœnæ illis infligendæ; ergo neque certum numerum electorum, neque certos gradus gloriæ illis dandæ. Respondeo negando antecedens quoad primam partem; nam eligendo hos, eo ipso illos, saltem negativè reprobavit; præsertim cum statuerit non eligere plures, neque aliis præparare media efficaciæ; cum autem etiam illi sint certi, ac determinati; siquidem certos, ac determinatos decrevit creare ex reprobis, idè certas, ac determinatas personas sic negativè reprobavit, licet certos, ac determinatos gradus pœnæ non prædestinaverit; siquidem hi correspondent demeritis, quæ cum Deus prædestinare non possit, neque sic prædestinare potest gradus pœnæ, quos quisque sibi designat per peccata, quæ committit.

447. Advertes hinc P. Soar. cit. n. 7. & cum eo P. Tanner. cit. velle traditam resolutionem solum procedere de gradibus gloriæ essentialis; posse tamen extendi ad præmium accidentale, dummodò necessariò non supponat peccatum; siquidem tunc non potuit cadere sub illam primam intentionem dandi gloriam, quia necessariò debet supponi permissio, & prævisio peccati; sicque Deus vellet ipsum peccatum; quod non est dicendum. Non placent tamen, & meritò P. Arriaga cit. num. 39. ob rationes jam supra à nobis breviter assignatas, & fusiùs infra assignandas.

448. Difficultas 2. Utrum electio illa Dei efficax ad gloriam sit electio, & dilectio: unus, an multiplex actus? Advertes primò, dilectionem esse propensionem, seu affectum quemdam voluntatis ad aliquid, qui licet absolutè stare possit, quin velit ei bonum; attamen ex D. Thom. 2. secunde quest. 10. art. 1. ordinariò idem est aliquid diligere, atque ei velle bonum, præsertim Deus, quando diligit efficaciter. Duplicitèr Deus dicitur diligere, aut

solum ordinando ad bonum futurum, diciturque amor ordinativus, seu propositi, seu intentionis; aut ipsum bonum actualiter conferendo, diciturque amor collativus, seu executionis, quatenus ponit in executione bonum illud; ad quod priùs ordinaverat.

Advertes secundò, electionem versari, aut inter 449 personas, aut inter res alias, fierique quando plura, aut formaliter, aut virtute comparantur inter se, & unum ab aliis separatur, diciturque electio unius præ aliis. Aliter etiam actus voluntatis dicitur electio, quando scilicet eligit unum propter aliud, & sic dicitur electio voluntas medii propter finem.

Advertes tertio, posse dari dilectionem, quæ 450 non sit electio, quando scilicet absque ulla comparatione, aut separatione; etiam interpretativa; unus vult bonum alteri: & è contra posse dari electionem, quæ non sit dilectio, quando scilicet absque ullo affectu ad bonum, quod sit alicui bonum, unum comparas cum aliis, & ab illis se paras, seu eligis præ illis. His positis.

Dico 1. Decrerum efficax dandi gloriam prædestinatis est eorum dilectio. Ita D. Thom. hic q. 23. art. 4. & in 1. dist. 40. & 41. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 11. n. 1. P. Herice tract. 3. d. 22. cap. 5. num. 39. P. Ruiz. hic d. 12. sect. 9. n. 10. P. Arriaga, P. Tanner. & alii. Probatur primò ex illo ad Ephes. 2. ibi: Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos. Et Joan. 15. 9. Ego dilexi vos. Et ad Rom. 9. 13. Jacob dilexi, &c. ubi sermo est, (sicut in pluribus aliis locis) de prædestinatione sub nomine dilectionis. Secundò ratione, quia diligere aliquem est velle ei bonum; sed per hujusmodi decretum Deus vult prædestinato maximum bonum, nempe gloriam æternam; ergo illum diligit; consequenterque actus ille est vera dilectio.

Objicies 1. Si prædestinatio esset dilectio, cum 452 prædestinatus, prout est in peccato, adhuc perseveret prædestinatus, adhuc perseveraret à Deo dilectus; sed Deus non diligit peccatorem, imò odio hebet; ergo neque prædestinatum. Respondeo prædestinatum pro eo statu peccati perseverare à Deo dilectum, non amore collativo, seu complacentiæ, sed amore ordinativo, seu propositi ratione statûs, ad quem illum ordinavit, & ei intendit. Imò in hoc ipso statu peccati plus illum amat amore directivo, quam diligit reprobum in statu gratiæ; licet hunc plus amet amore collativo, executionis, & complacentiæ, quatenus ei gratiam confert, quam pro statu peccati non confert prædestinato, in quo pro præsentis statu minùs complaceat, quam in reprobo.

Inferes: Ergo dilectio Dei pro eo statu erit 453 major erga reprobum justum, quam erga prædestinatum in peccato, poteritque absolutè dici, Deum plus amare reprobum, quam prædestinatum. Respondeo simpliciter, & absolutè plus amari prædestinatum, quatenus ratione decreti gratuiti, seu voluntatis dandi gloriam, simpliciter vult ei majus bonum, nempe gloriam; licet secundum quid, seu pro illo tempore, quo præscitus est in gratia, & prædestinatus in peccato, plus illum, quam istum amet, quatenus ille pro tunc est acceptus ad gloriam, ad quam iste secundum præsentem statum illius temporis non est acceptus.

Instabis: Dilectio divina actu afficit objectum 454 bonum; sed prædestinatus in peccato non est actu bonus; ergo non terminat affectum, sive dilectionem divinam. Respondeo prædestinatum in eo statu

statu non esse actum bonum bonitate, quæ terminat actum complacentiæ, sed quæ terminet actum propositi, sive amoris directivi, & ita terminat dilectionem, quæ etiam est tantum directiva, & quam Deus in re habet, & ostendit per illam electionem ad gloriam, ad quam illum elegit: sicut quando Abraham promisit futuram ex eo generationem Christi, eo ipso ostendit erga illum amorem actu, & præsentem, licet ordinativum tantum, quia adhuc ei non præstabat tale bonum.

455. Inferes: Ergo si prædestinatus etiam pro tempore, in quo non est justus, diligitur per hunc actum dilectionis, etiam pro eo tempore plus diligitur simpliciter, & absolute; siquidem cum illa dilectio in se sit simpliciter major, pro omni tempore, pro quo denotatur hominem dilectum, etiam illum denominat magis dilectum. Respondeo cum *D. Thom. & P. Soar. cit. num. 3.* amorem Dei esse causam bonitatis rei amatæ, idedque pro quocumque tempore Deum diligere personam illam, cui pro eo tempore majus bonum confert: cum autem prædestinatus pro tempore, quo non est justus non recipiat illud majus bonum, quod recipit præcitus tempore, quo est justus, ided pro eo tempore Deus simpliciter plus hunc, quam illum amat.

456. Objicies 2. Dilectio divina semper ponit in creatura aliquid boni; in hoc enim distinguitur à dilectione creata; sed illud decretum glorificandi nihil ponit in prædestinato; nam licet hic postea assequatur gloriam, illam assequitur per solam voluntatem executivam, quæ potius est actus justitiæ, quam dilectionis; ergo tale decretum non est dilectio. Respondeo ad majorem ita quidem ponere, aut mediatè, aut immediatè: illud autem decretum sic ponit ipsam gloriam, saltem mediatè, quatenus imperat actum exequentem, (si ab illo distinguitur,) qui illam ponit immediatè. Dixi si ab illo distinguitur, quia si non distinguitur, sed immediatè applicat Omnipotentiam, tunc immediatè ponet ex parte voluntatis ipsam gloriam sine eo secundo actu. Neque obstat quod ipsa gloria in executione dicatur actus justitiæ; talis enim non dicitur pro ut primò intenditur, & prout incipit à prima vocatione gratis grata, quod fit ex dilectione.

457. Dico 2. Decretum illud intendens gloriam prædestinato est etiam rigorosa ejus electio. Ita *P. Soar. P. Herice, P. Ruiz, P. Tanner. d. 3. quæst. 2. dub. 3. num. 5. P. Arriaga hic d. 34. sect. 1. num. 1.* & alii. Probatur, quia ille actus est electio rigorosa, qui aut unum è pluribus præfert, relictis aliis: aut unum eligit propter aliud; sed ita se habet supra dictum decretum respectu prædestinatorum; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus ex infinitis, quos poterat eligere ad gloriam, hos tantum elegit, aliis relictis, illosque cæteris prætulit; ergo &c. Probatur quoad secundam partem, quia licet Deus velit gloriam prædestinatis ut eorum finem, hoc non tollit quominus illam etiam velit ut medium ad sua attributa ostendenda, Bonitatem communicandam, & propriam gloriam accidentalem acquirendam; ergo propter hæc omnia fuit etiam intentæ; consequenterque in utroque sensu est propria, & rigorosa electio.

458. Dico 3. Hujusmodi dilectio, & electio sunt unus & idem actus, solumque distinguuntur per diversa connotata. Ita *P. Soar. cit. n. 7. P. Herice. d. 22. tract. 3. n. 44. P. Tanner. cit. n. 6. P. Arriaga cit. n. 1. P. Compton. hic d. 39. sect. 2. n. 8.* & alii Proba-

tur, quia tale decretum in se habet & velle bonum prædestinatis, & illud ita eis velle, ut omittat alios, quibus etiam Deus poterat velle tale bonum, & quibus ipsos prædestinatos præfert; sed prout eis vult bonum, est dilectio; & prout illos in bono aliis præfert est electio; ergo &c. Confirmatur, quia propositus Petro, & Juda Intellectui Divino secundum sua bona naturalia, Voluntas Divina mota est eligere D. Petrum, non autem Judam; ergo talis actus fuit simul & dilectio D. Petri, quatenus ei vult gloriam, & etiam electio illius, quatenus illum Judæ præposuit; ergo idem dicendum de aliis prædestinatis, quorum modus eligendi fuit similis.

Argues 1. Electio, & dilectio in humanis distinguuntur, ut supponit commune axioma: *Præius eligas, quam diligas*; ergo etiam sic distinguuntur in Divinis. Respondeo negando antecedens: axioma enim illud solum intelligitur de speciali, & majori dilectione, quæ dicitur amicitia, & supponit præius aliam minorem dilectionem, quæ ab electione non distinguitur: sic quando quis eligit aliquem, ut illum habeat amicum familiarem, per ipsammet electionem incipit eum diligere, licet dilectionem illam ad aliam majorem, & familiarem amicitiam ordinat.

Argues 2. Electio dependet à dilectione; siquidem prædestinatus ided à Deo eligitur, quia diligitur; sed quando unum supponit aliud, ab eo distinguitur; ergo sic distinguitur electio à dilectione. Respondeo electionem, quando fit in bonum, duos includere gradus, alterum veluti genericum, qui est dilectio, & alterum veluti specificum, qui est talis dilectio, id est unius præ alii, & hic supponit illum, estque illo posterior; siquidem non esset talis dilectio, id est unius præ alii, nisi præius esset dilectio; cum tamen id habeat unus, & idem actus secundum diversa tantum connotata, prout scilicet connotat, aut non connotat negationem similis volitionis respectu alterius, bene sequitur non dari ibi duas virtualitates distinctas, & separatas, quæ efficiant quoad nos duos actus virtualiter distinctos.

## SECTIO XXII.

*Utrum in electione divina aliquis fuerit ordo inter prædestinatos?*



ADVERTES primò hujusmodi questionem solum habere locum in nostra sententia ponente electionem ad gloriam ante prævisa merita in esse absoluto; nam in contraria dicendum est dari hujusmodi ordinem inter prædestinatos. Patet, quia multorum merita pendent ab auxiliis imperatis ab aliis, qui jam Deo fruantur, sicque supponunt prævisam eorum beatitudinem, quæ cum non acquiratur sine meritis, etiam supponunt eorum merita in esse absoluto; consequenterque eorum prædestinationem ad gloriam. Secundò hujusmodi difficultatem procedere de omnibus prædestinatis, comprehendereque Christum Dominum, Beatissimam Virginem, Angelos, & homines, de quibus omnibus incipiendo à Christo Domino, de quo variè loquuntur Doctores, dicendum est: fit igitur:

Difficultas 1. Utrum Verbum Divinum, aut Filius naturalis Dei possit absolute, & sine addito dici prædestinatus? Suppono primò de Fide esse,

unionem substantialem duarum naturarum in supposito divino fuisse ab æterno prædestinatam. Patet primò ex illo 1. Cor. 2. 7. ibi: *Loquimur Dei Sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.* Secundo, quia Prædestinatio divina versatur præcipuè circa opera gratiæ, & gloriæ; sed hujusmodi unio fuit maximum opus gratiæ, & gloriæ; ergo illam voluit Deus ab æterno, ut fieret in tempore. Hinc sequitur, complexum illud, *Filium Dei fieri hominem, & hominem esse Filium Dei*, fuisse etiam simpliciter & absolute prædestinatum, seu ab æterno prædestinitum à Deo, quia sic etiam fuit postea factum in tempore.

Suppono secundo, Verbum Divinum, seu Filium Dei naturalem non posse simpliciter & absolute dici prædestinatum ad esse Filii Dei naturalis, sive ut sit Filius Dei naturalis. Ita P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 2. P. Perez. de Incarnat. d. 40. sect. 7. n. 3. & alii. Patet, quia prædestinatio ex parte voluntatis est actus liber communis toti Trinitati, & habens pro objecto, sive termino rem extrinsecam, sive ab extrinseco provenientem ei, qui prædestinatur; siquidem nemo dicitur prædestinari ad id, quod est sibi essentialia, & habet ab intrinseco; sic enim homo non dicitur prædestinari ad esse hominis; sed Verbum, & Filius Dei sibi habet essentialia & intrinseca esse Filium naturalem Dei, quod à Patre accipit per æternam generationem; ergo non potest dici prædestinatus ad esse Filii Dei naturalis. Hinc sequitur ob eandem rationem non posse dici prædestinatum ad Beatitudinem Increatam, utpotè quæ ei est etiam essentialis, & intrinseca. His suppositis.

Conclusio sit: Verbum, seu Filius naturalis Dei non potest simpliciter, & absolute sine aliquo addito dici prædestinatus. Ita D. Bonavent. in 3. dist. 7. Richard. Durand. Paludan. quos citat & sequitur P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 1. dicens esse Theologorum communem. Probatum primò, quia verbum hoc *Prædestinari* absolute prolatum in cõmuni acceptione idem significat, atque destinari ex dono Dei ad aliquod esse simpliciter, aut ad beatitudinem in tempore habendam; sed non ita destinatus est Filius Dei, ut patet ex dictis; ergo non potest dici simpliciter, & absolute prædestinatus. Secundo, quia ex tali locutione absolute, & sine addito prolata posset aliquis existimare Filium Dei secundum propriam naturam fuisse ut creaturam prædestinatum; sed hoc sapit hæresim Arianam; ergo abstinendum est à tali locutione sic absolute prolata. Confirmatur, quia ob eandem rationem abstinendum est ab hac absolute, & sine addito prolata: Verbum incepit. Dixi sine addito, nam cum addito sive ex parte subjecti sic: *Verbum quæ homo*; sive ex parte prædicati sic: *Verbum prædestinatum est ad esse hominis*; seu ut fieret caro: bene poterit sustineri, ut patet ex alibi dictis, & patebit ex dicendis.

Oppositum tenent P. Vasq. d. 92. de Incarnat. cap. 2. num. 6. P. Hurt. de Incarn. d. 8. diff. 5. n. 14. & alii. Pro quibus: Argues 1. Absolute, & sine addito dici potest: *Christus est prædestinatus*; ergo etiam: *Verbum est prædestinatum*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex eodem P. Vasq. ut aliquis dicatur absolute prædestinatus, sufficit quod ab æterno ordinetur à Deo ad habendum esse in tempore, etiamsi non ordinetur ad gratiam, aut ad gloriam; cum autem sic fuisset ordinatum compositum illud *Christus*, & non ita *Verbum*, ut est de fide, idè absolute potest illud, non tamen hoc, sicut neque *Filius*

Dei dici prædestinatus. Hæc interim, infra enim latius.

Argues 2. Quidquid dicitur de hoc homine *Christus*, dicitur etiam de Verbo, & de Filio Dei per communicationem idiomatum; sed de hoc homine absolute, & sine addito, dicitur fuisse prædestinatum; ergo etiam sic dicitur de Verbo, & de Filio Dei; siquidem bene valet argumentum: *Hic homo est prædestinatus: hic homo est Filius Dei; ergo Filius Dei est prædestinatus*. Respondeo majorem esse veram, nisi detur specialis repugnancia; aliter verò si detur, ut datur in præsentia.

Patet in prædicatis *creatura, incepit*, quæ absolute dicuntur de hoc homine; & tamen non possunt dici de Verbo, neque de Filio Dei absolute, sed cum addito, nempe *quæ homo*, aut per communicationem idiomatum, ob periculum incidendi in Arianismum: cum autem idem periculum, & repugnancia detur in prædicato *prædestinatus*, absolute prolato; tum quia etiam significat durationem temporaneam: tum etiam, quia, ut diximus, ex communi acceptione significat destinationem ad esse, aut beatitudinè secundum propriam naturam, idè sine simili periculo nõ potest proferri de Verbo, aut de Filio Dei absolute, sed cum addito, nempe *quæ homo*, aut per communicationem idiomatum, in quo sensu bene infert argumentum. Nisi velis dicere, consequentiam nihil valere, cum mutetur suppositio; siquidem in majori, & minori sumitur subjectum in suppositione materiali, nempe, *subjectum quod est hic homo est prædestinatum*: in consequentia autem sumitur in suppositione formali, sicque est falsa. Patet in hoc Syllogismo: *Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo: ergo Verbum factum est Deus*: In qua conclusione supponitur pro formali, id est pro natura, de qua falso asseritur factam fuisse; aliter inciperet in tempore.

Argues 3. Eadem repugnancia quæ datur in hoc prædicato *prædestinatus*, datur etiam in his, *mortuus, & passus*; sicut enim est impossibile, quod Verbum fiat secundum propriam naturam; ita etiam quod moriatur, & patiatur; & sicut potest secundum naturam aliam pati, & mori; ita etiam fieri; sed absolute, & sine addito affirmatur de Verbo fuisse mortuum, & passum; ergo etiam sic affirmabitur fuisse prædestinatum. Respondeo negando majorem: nam verborum sensus defumendus est à communi usu, & acceptione; ex his autem est quod prædicata *mortuus, & passus*, conveniant Verbo ratione idiomatum, non verò immediate, & in se; idè quæ licet absolute proferantur, sic intelliguntur: at prædicatum *prædestinatus* è contra, ut patet ex dictis, idè quæ non potest de illo absolute proferri.

Difficultas 2. Utrum Verbum, seu Filius Dei possit dici prædestinatus ab æterno, ut fieret homo in tempore? Affirmativam sententiam tenent cum D. Thom. & Scot. P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 1. & P. Gaspar. Hurt. de Incarn. d. 18. diff. num. 10. & alii. Negativam tamen sententiam tenent Durand. Lorca, P. Becan. & alii. Antequam, quid sentiamus, apponamus: Præmittendum est cum P. Vasq. de Incarnat. d. 92. cap. 3. n. 15. P. Petr. Hurt. de Incarn. d. 84. S. 9. & aliis, prædestinationem hic dupliciter sumi posse: Primò late, seu minus propriè pro simplici providentia, seu prædefinitione divina alicujus rei in ordine ad aliquid aliud accipiendum, sive sit ex gratia, sive sine illa; Secundo pressè, seu magis propriè pro ipsa

prædefinitione in ordine ad aliud ex dono, & gratia tantum Dei accipiendum. Hoc posito.

470. Assertio 1. Verbum, seu Filius Dei potest dici lato modo prædestinatus ab æterno, ut in tempore fieret homo, seu caro. Ita *P. Vasq. P. Hurt. cit. & P. Perez. de Incarnat. d. 40. sect. 7. n. 6. & alii.* Probatur, quia Filius Dei verè dicitur factus homo in tempore ex æterno Dei decreto; ergo etiam verè dicitur prædestinatus: tum quia prædestinatio non distinguitur ab illo decreto: tum etiam, quia ad prædestinationem late sumptam, qualis est hæc, non requiritur, quod sit ex dono, & gratia Dei; siquidem Concil. Valent. cap. 3. reprobationem malorum vocat prædestinationem ad poenam; cum tamen illam non sint accepturi ex dono, & gratia Dei: Et ita similiter loquuntur D. August. D. Fulgent. & alii Patres fumentes prædestinationem pro sola providentia absoluta. Confirmatur, quia in hoc loquendi modo vitatur inconueniens, de quo supra; siquidem non significatur, Verbum fuisse prædestinatum simpliciter ad esse, aut beatitudinem secundum propriam naturam, sed tantum secundum quid, & lato modo, ut esset homo, seu ut uniretur humanitati.

471. Assertio 2. Verbum, seu Filius Dei non potest propriè, & strictè dici prædestinatus, ut esset, & fieret homo. Ita *P. Vasq. P. Hurt. P. Perez. cit.* Probatur, quia ut posset sic dici prædestinatus debet ad id ordinari ut ad aliquam gratiam, & beneficium sibi faciendum; sed respectu Verbi, & Filii Dei non erat gratia, neque beneficium, quod fieret homo; imò maxima exinanitio, ut patet ex illo ad Philip. 2. 7. ibi: *Exinanivit semet ipsum formam servi accipiens; ergo &c.*

472. Dices 1. Quod prædestinatio, ut talis sit propriè, & rigorosè, debeat esse ad aliquid, quod sit donum, beneficium, & gratia, sine fundamento asseritur; ergo &c. Respondeo negando antecedens; constat enim: Primò ex definitione prædestinationis, quam tradit D. August. *Est preparatio beneficiorum Dei, &c.* de qua jam supra: Secundò, quia hæc est communis acceptio; juxta quam supra diximus, prædestinationem in proprio sensu esse ad dona, quæ viribus naturæ acquiri non possunt.

473. Dices 2. Filius Dei futurus non esset homo ex natura; ergo ex gratia, seu ex unione gratuita; consequenterque potest dici ad id prædestinatus. Respondeo negando consequentiam quoad utramque partem; neque enim ad rigorosam prædestinationem satis est, quod terminus, ad quem quis destinatur, sit datus à Deo utrumque gratis, & sine debito naturæ, sed ulterius opus est, quod sit gratia, & beneficium respectu ipsius, qui ad illum prædestinatur, qualis non est illa unio respectu Verbi, & Filii Dei: sic etiam è contra quando aliquis dicitur destinatus ad aliquid ex iustitia, sic dicitur, non ex quacunque iustitia, sed ex iustitia propria, & sibi debita.

474. Dices 3. Ut Verbum dicatur propriè prædestinatum satis est, quod humanitati, aut huic homini fieret gratia, licet non ita fieret ipsi Verbo, siquidem ex illo per denominationem extrinsecam resultabit in ipsum Verbum; ergo &c. Respondeo negando antecedens; debet enim gratia fieri ipsi prædestinato, qui ad illam prædestinatur.

475. Instabis: Ut Verbum dicatur propriè factum caro, opus non fuit, quod in illo fieret mutatio aliqua, sed satis fuit, quod hæc fieret in humanitate recipiente unionem, & ex illa resultaret talis denominatio in Verbum; ergo similiter. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est,

quia quando Verbum factum fuit caro, licet tota mutatio facta fuerit ex parte solius humanitatis recipientis unionem; ipsum tamen Verbum fuit realiter unum, cum etiam terminaverit unionem, (sive intrinsecè, sive extrinsecè, prout alibi diximus,) & fuit cum humanitate conjunctum; at verò ipsa unio, prout est gratia à Deo facta, non fuit terminata ad ipsum Verbum, sed tota, prout est gratia, mansit in sola humanitate, cum respectu Verbi potius sit exinanitio, quam gratia, ut diximus.

Difficultas 3. Utrum Christus Dominus possit dici simpliciter, & absolute prædestinatus? Assertivè. Ita D. Thom. 3. p. q. 24. art. 1. D. Bonav. in 3. dist. 7. art. 2. q. 1. D. Aug. lib. de prædest. sanctor. cap. 15. & lib. de bono persever. cap. ult. Alens. 3. p. q. 3. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 1. P. Vasq. de Incarn. d. 91. cap. 1. num. 1. & alii. Probatur primò ex illo Actor 2. ibi: *Certissime sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus.* Et ad Hebr. 3. *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ JESUM, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Et 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula.* Ubi sermo est de Sapientia incarnata, de qua etiam D. Petrus 1. Petr. 1. 20. *Redempti estis ..... pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati: præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus.* Et Concil. Tolet. 11. ubi de Christo: *Per hoc, inquit, quod de MARLA Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est; ergo &c.*

Probatur secundò rationibus: Prima, quia quod est ab æterno præordinatum à Deo, ut per gratiam fiat in tempore, verè dicitur prædestinatum; sed ita præordinatus fuit Christus Dominus media unione hypostatica; siquidem ita factus fuit in tempore, ut patet ex Scripturæ locis proximè citatis, & ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum est; nihil autem potest fieri in tempore, quod ab æterno non fuerit à Deo prædestinatum; alioqui aliquid Deus vellet de novo, quod antea non voluerit; ergo verè dicitur prædestinatus.*

Secunda, quia Christus significat quid subsistens in duabus naturis divinâ, & humanâ; sed hoc, ut subsistat in duabus naturis, prædestinatum est ab æterno; ergo etiam Christus potest dici simpliciter ab æterno prædestinatus. Tertia, quia Christus simpliciter dicitur glorificatus, exaltatus, &c. ergo etiam sic dicitur prædestinatus, cum hæc omnia dicantur de Christo ratione naturæ assumptæ.

Oppones 1. Subsistere media unione hypostatica in duabus naturis pertinet ad constitutionem Christi Domini; sed quæ pertinent ad constitutionem rei, non cadunt sub ejus prædestinationem; neque enim homo dicitur prædestinatus, ut sit animal rationale; ergo &c. Resp. minorem esse veram, si constitutio sit merè naturalis, qualiter animal rationale constituunt hominem; non ita verò si sit supernaturalis, & miraculosa, qualis est constitutio illius compositi, ideoque verè dicitur prædestinatum.

Oppones 2. Prædestinatio simpliciter, & absolute, prout sumitur à Theologis, est sola ordinatio efficax ad gloriam; ita ut idem sit dicere: *Petrus est prædestinatus; atque dicere: Petrus est ordinatus ad gloriam;* ergo ut Christus Dominus dicatur absolute prædestinatus, non sufficit ejus ordinatio ad existentiam; alioqui cum omnes homines fiat ordinati ad existendum; ergo similiter. Respondeo negando consequentiam, & ejus proba-

probationem: nam cum esse Christi Domini, & ejus existentia extra causas ratione Unionis Hypostaticæ secum deferant connaturaliter possessionem gloriæ, idem fuit in eo ordinari ad habendum esse, & existentiam, atque ordinari, saltem mediata ad possessionem gloriæ; cum utrumque perineat ad ordinem supernaturalem: at verò cum id non habeat cæteræ cæterorum hominum existentia, idè ordinati ad existentiam; nequeunt absolute dici prædestinati; siquidem illa ordinatio fit à Deo per providentiam naturalem; imò & si per supernaturalem, est tantum generaliter, & inefficaciter, quatenus prout sic etiam ordinantur ad gloriam, ut supra diximus.

481. **O**ppones 3. Prædestinatio semper est ad aliquod donum supernaturale, ut diximus; sed existentia nõ est donum supernaturale, & indebitum rei, cujus est existentia; siquidem non distinguitur ab ejus essentia; nihil autem est connaturalius, & magis debitum rei, quàm ejus esse, & essentia; ergo &c. Respondeo ad minorem, aliquando posse existentiam esse donum supernaturale, & indebitum rei, cujus est existentia, quando scilicet tale est respectu alicujus partis illius, & talis est existentia illius compositi ineffabilis respectu humanitatis, quam includit.

482. **I**ntabis: Quando prædicatum non convenit subjecto secundum se totum, non potest de eo absolute, & simpliciter affirmari; alioqui possemus absolute, & simpliciter albedinem affirmare de Æthiopo, cui convenit secundum solos dentes; sed prædicatum prædestinatus non convenit Christo Domino secundum se totum; solum enim ei convenit secundum humanitatem; ergo non potest de illo absolute, & simpliciter affirmari. Respondeo majorem esse veram, quando prædicatum aptum est convenire toti subjecto, ut apta est albedo convenire toti Æthiopi; aliter verò si prædicatum sit de genere eorum, quæ apta non sunt convenire subjecto secundum se totum, & hujus generis est respectu Christi Domini hoc prædicatum prædestinatus; non enim potest ei convenire, nisi secundum solam humanitatem, ideoque bene potest de eo simpliciter, & absolute affirmari.

483. **O**ppones 4. non potest dici de Verbo, fuisse prædestinatum ad existendum; ergo neque de Christo Domino; siquidem quæ non possunt dici de Verbo Divino, non possunt etiam dici de Christo Domino. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, non posse affirmari de Christo Domino, quæ non possunt affirmari de Verbo, si sumatur Christus quatenus Deus; aliter si sumatur quatenus homo; sicque bene potest de illo absolute, & simpliciter affirmari illud prædicatum ratione solius humanitatis.

484. **O**ppones 5. Terminus prædestinationis non solum debet esse in ordine supernaturali, sed esse ulterius donum, & beneficium gratuitum prædestinati, ut diximus; sed dici non potest, Deum per Providentiam æternam præparasse Christo Domino aliqua beneficia gratuita, & ei indebita; ergo non potest dici prædestinatus. Respondeo ad minorem, non posse dici, Deum sic præparasse beneficium indebitum Christo Domino respectu utriusque naturæ, posse tamen respectu solius humanitatis. Patet, quia Christus Dominus potuit, & debuit Patri gratias agere pro acceptis donis: imò de facto eas egit, ut passim constat ab Scriptura; gratiæ autem non aguntur, nisi propter dona gratuita, & indebita; ergo talia illa erant

Tom. 1.

Christo Domino ut homini; sicque id ipsum sufficit, ut dicatur simpliciter, & absolute prædestinatus.

### SECTIO XXIII.

*Quid dicendum de Christo Domino sub his nominibus Christus,*

*& hic Homo, ostensa Christo Domino?*

**D**IFFICULTAS I. Utrum Christus Dominus sub hoc nomine *Christus* possit simpliciter, & absolute dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis? Negative. Ita cum *D. Thom. P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 2. §. Tertio sequitur. P. Vasq. de Incarnat. d. 91. cap. 2. num. 13. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 2. num. 22. P. Hur. d. 84. §. 4. & alii.* Probat, quia prædestinatio in proprio sensu ordinatur ad terminum distinctum à re prædestinata, quin in illa præsupponatur, imò ei adveniat ex dono, & gratia Dei; sed non ita ordinatur Christus Dominus in hac propositione: *Christus est prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis*; siquidem cum Christus Dominus dicat de formali compositum ex duabus naturis in unâ & eadem personâ, dicit de formali subsistentiam, seu Filiationem divinam, sicque neque ipsa Filiatio est omnino distincta à Christo Domino; neque Christus Dominus ad illam, imò illa in eo præsupponitur; neque ei advenit ex gratia Dei; ergo non potest simpliciter, & absolute dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis.

485. **C**onfirmatur primò, ex eo, quod homo formaliter includat animam & subsistentiam; & humanitas sit idem cum se ipsa; neque homo potest dici prædestinatus, ut habeat animam rationalem, aut propriam subsistentiam; neque humanitas, ut sit humanitas; sed etiam Christus Dominus includit formaliter Filiationem divinam, & est idem cum illa, quatenus Deus est; ergo non potest dici ad illam simpliciter, & absolute propriè prædestinatus. Secundò, quia prædestinatus ad aliquem terminum debet esse prior illo; siquidem ad illum præordinatur; sed Christus Dominus non est prior Filiatione divinâ; siquidem per illam constituitur, constitutum autem non est prius suo constituyente; alioquin prius esset totum suis partibus; ergo non potest dici ad illam prædestinatus. Unde si aliquando concessimus Christum Dominum fuisse prædestinatum ad Filiationem Dei, intelligendum est de prædestinatione lato modo, & alterius ordinis, ut ibi insinuavimus, quod idem dicendum de ejus prædestinatione ad gratiam, & ad gloriam, de quo infra.

486. **A**rgues 1. Christus Dominus fuit propriè prædestinatus ad esse, sive ad existentiam, ut diximus; ergo etiam ad tale esse, nempe Filii Dei. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia existentia non erat necessaria Christo Domino; siquidem poterat non existere: at verò Filiatio Divina erat ei necessaria, & debita, quia sine illa non dabatur Christus. Secundò, quia Christus in esse essentia præintelligebatur ad ejus existentiam, & ad illam ordinabatur: at verò non ita præintelligebatur, neque ordinabatur ad Filiationem Dei; siquidem ex illa constituebatur,

487. **A**rgues 2. Christus Dominus fuit propriè prædestinatus ad esse, sive ad existentiam, ut diximus; ergo etiam ad tale esse, nempe Filii Dei. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia existentia non erat necessaria Christo Domino; siquidem poterat non existere: at verò Filiatio Divina erat ei necessaria, & debita, quia sine illa non dabatur Christus. Secundò, quia Christus in esse essentia præintelligebatur ad ejus existentiam, & ad illam ordinabatur: at verò non ita præintelligebatur, neque ordinabatur ad Filiationem Dei; siquidem ex illa constituebatur,

Gga

Argues

488. Argues 2. Christus secundum se est indifferens ad hunc Christum, & ad alios possibiles ex aliis humanitatibus ad alias Personas divinas; ergo potuit sumi Personalitate Filii, & prout sic prædestinari ad illam. Respondeo cum P. Lugo cit. Christum Dominum ita sumptum in communi, posse quidem reperiri absque personalitate Filii; sicut tamen non dicimus, hominem in communi fuisse prædestinatum, ut sit Petrus; sic etiam non debere dicere, Christum in communi prædestinatum esse, ut esset hic Christus, aut Filius Dei. Unde solum fuisse prædestinatus hic Christus in particulari; hic autem Christus, cum non potuerit concipi ex parte subjecti sine Filiatione Divina, non potuit ad illam prædestinari.

489. Argues 3. Quod Christus sit prædestinatus ad esse Filii Dei bene inferatur per hunc syllogismum expositivum: *Hic homo prædestinatus est ut esset Deus: hic homo est Christus, seu Filius Dei; ergo Christus, aut Filius Dei prædestinatus est, ut esset Deus; ergo &c.* Respondeo primò negando majorem argumenti, ut constabit ex sequenti difficultate. Respondeo secundò cum P. Vasq. cit. n. 15. syllogismum illum continere fallaciam, quam Logici dicunt *accidentis*, & datur quando duo conveniunt inter se, & ad invicem prædicantur, & uni eorum tribuuntur formaliter ea prædicata, quæ ipsi formaliter repugnant, aut formaliter non conveniunt, sed alteri; quod quidem accidit quando duo ita inter se conveniunt, ut non per se, sed accidentalitèr invicem prædicentur, ut accidit in apposito syllogismo, ideoque consequentia non est bona, sicut non est in hoc: *Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo: ergo Verbum factum est Deus*: quæ est falsa, vera tamen, si ita inferatur: *Ergo Verbum factum est hic homo, qui est Deus*: sicut vera erit illa si inferatur; ergo *Christus, aut Filius Dei est ille, qui prædestinatus est, ut esset Deus.*

490. Respondeo tertio cum P. Lugo cit. n. 23. terminum *hic homo* ex parte suppositi, cum illud indeterminatè significet, sapere naturam termini communis, & sic debere sequi illius leges, ideoque ex eo defectu non valere consequentiam, neque illum esse bonum syllogismum expositivum, cum illius medium non sit terminus purè singularis ex parte suppositi, sed communis; sicut non valet, neque est bonus iste: *Hic homo est hic Deus: hic Deus est Trinus; ergo hic homo est Trinus*: in quo non valet consequentia; imò neque inter Personas divinas, si dicas: *Filius est hic Deus: hic Deus est Trinus: ergo Filius est Trinus*: quia *hic Deus*, licet ex parte Naturæ Divinæ sit terminus singularis, ex parte tamen Personæ, quam indeterminatè significat, sapit rationem termini communis.

491. Argues 4. D. Paulus dixit Christum prædestinatum fuisse Filium Dei, ut patet ad Rom. 1. 3. ibi: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis; ergo &c.* Respondeo (omissis aliis interpretationibus de quibus latè, & eruditè, ut assolet P. Soar. cit. sect. 2.) verbum *prædestinatus* ibi idem valere, atque declaratus, & manifestatus per miracula, per doctrinam, per meritum, per satisfactionem pro peccatis hominum, per Resurrectionem, per Ascensionem, &c. ita ut sensus sit, non quod fuerit prædefinitus, sed quod homo factus, declaratus fuerit sua propria virtute Filius Dei. Ita exponunt citatum locum D. Chrysostr. Theodoret. Theophylact. D. Cyril. & alii apud P. Soar. cit. qui etiam hanc ipsam expositionem dicit satis probabilem.

Difficultas 2. Utrum *hic homo*, ostenso Christo Domino, dici possit prædestinatus, ut sit Filius Dei? Negative. Ita Durand. in 3. dist. 7. q. 3. n. 9. Paludan. quest. 3. art. 2. & 3. concl. 2. D. Bonav. in 3. dist. 7. art. 2. q. 3. Marsil. in 3. q. 7. art. 1. concl. 3. Lorca d. 85. n. 3. P. Petr. Hurt. d. 84. §. 5. P. Perez de Incarn. d. 40. sect. 8. n. 2. P. Gasp. Hurt. d. 18. diff. 1. n. 3. P. Arriaga de Incarn. d. 45. sect. 3. n. 26. P. Becan. cap. 2. & alii. Probatur primò, quia *hic homo*, imò & *homo*, ostenso Christo Domino, idem significat, atque Christus; nam licet *hic homo*, & *homo* videantur quid commune ad Petrum, & Paulum, designato tamen Christo Domino, non possunt jam sumi, nisi pro solo Christo; sic enim Petrus, licet sit vox æquivoca ad hunc, & illum Petrum, designato tamen hoc numero Petro, non potest sumi nisi tantum pro illo; siquidem designatio tollit æquivocationem; sed *Christus*, ut diximus, non potest dici prædestinatus, ut esset Filius Dei; ergo neque *hic homo*, seu *homo*, ostenso Christo Domino.

Probatur secundò, quia tunc posset sic dici prædestinatus, quando Deus conciperet humanitatem concernentem suppositum aliquod in confuso, vagè, & indeterminatè, eamque ut sic ordinaret ad suppositum divinum; sed Deus non ita concepit, imò neque potuit concipere; siquidem Deus nihil concipit, neque considerat confusè, vagè, & indeterminatè, cum sit cognitio imperfecta; & multò minus sic ordinat per actum efficacem, qui ut sit exequens, tendit ad rem determinatè, & ut futura est à parte rei; sic autem futura est determinata, & ut singularis, non verò indeterminatè, & in communi; ergo &c.

Oppositum tenent D. Thom. 3. p. q. 24. a. 2. Aristod. lib. 3. sum. tr. 1. q. 8. cap. 2. Scot. in 3. dist. 7. q. 3. ad 1. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 2. §. Quo circa. P. Vasq. de Incarn. d. 90. cap. 3. num. 17. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 2. n. 9. & alii: pro quibus Objectiones 1. Concretum *homo* solum dicit de formalitèr naturam concernentem suppositum; suppositum verò de connotato tantum; ergo potuit ad illud prædestinari, ut ad aliquid à se distinctum. Respondeo quidquid sit de antecedente, (quod P. Vasq. cit. n. 21. dicit, se quidem iudice, non esse parum efficacem ad probandam suam sententiam, ut ex illo latè probat,) negando consequentiam; nam *hic homo*, designato Christo Domino, jam includit quidquid est in illo substantiale, sive sit formaliter, sive de connotato; cum autem in illo sit substantialitèr substantia divina, jam illam includit, sicut que non potuit ad illam prædestinari. Addo, si argumentum ita efficaciter convinceret, ut ait P. Vasq. etiam probaret, posse hominem absolute sumptum prædestinari ad substantiam vagam; siquidem etiam illam non dicit de formali, sed tantum de connotato; hoc autem non admittet; ergo neque illud, ex quo sequitur.

Objectiones 2. Ille, cui in tempore sit gratia, fuit ab æterno prædestinatus ad illam; siquidem Deus nihil voluit in tempore, quod ab æterno non voluerit; sed huic homini Christo facta fuit in tempore gratia, ut esset Filius Dei; ergo ab æterno fuit ad illam prædestinatus. Probatur minor, quia *hic homo* non intelligitur includere formalitèr substantiam Verbi; siquidem illà variatà, adhuc maneret idem homo; sicut in Divinis ex eo, quod Deus non includat substantias, idem Deus est Pater cum substantia Patris, atque est Filius cum substantia Filii; ergo in eo, quod data sit ei talis substantia, & per illam sit Filius Dei, facta fuit ei

in tempore gratiæ; ergo ab æterno fuit ad illam prædestinatus.

496. Respondeo negando minorem, & distinguendo antecedens probationis; *hic homo* non intelligitur includere subsistentiam Verbi prout fuit conceptus à Deo; nego antecedens: prout à modo modò concipitur; concedo antecedens: modò enim à me, qui habeo cognitiones imperfectas, & confusas, concipitur cum subsistentiâ vagâ, & indeterminatâ; consequenterque sine subsistentiâ Verbi determinatâ: at verò à Deo, qui non habet, neque habere potest tales cognitiones vagas, & imperfectas, sed omnia cognoscit, prout sunt à parte rei, semper *hic homo* conceptus fuit cum subsistentiâ, quam habuit humanitas à parte rei; cum autem humanitas non habuerit aliam, nisi subsistentiam Verbi, idè Deum semper hanc in illa, consequenterque in hoc homine concepit, & concipit.

497. Additur, quod cognitio prædestinans est præctica disponens rem, prout futura est à parte rei; cum autem nulla res futura sit vaga à parte rei, nullique subiecto vago faciendâ sit gratiâ, sed soli subiecto determinato, idè Deo per talem cognitionem non cognovit humanitatem cum subsistentiâ vagâ, & cum non potuerit prædestinare, nisi id, quod cognoscebat, non potuit prædestinare hominem vagum, quem non cognovit, sed hunc hominem determinatè cum subsistentiâ Verbi. Neque obstat, quod variatâ subsistentiâ, adhuc maneret idem homo; siquidem solum maneret idem secundum significatum formale, non autem materiale; quod etiam est in divinis; cum verò res absolute nominentur à prædicatis formalibus, & non à materialibus, idè absolute dicentur idem homo, non tamen cum addito, id est secundum significatum materiale, secundum quod debebat à Deo prædestinari, cum deberet illum prædestinare secundum quod est à parte rei.

498. Objicies 3. Licet verum sit, quod Deus in sua prædestinatione respexerit ad subiectum determinatum, nempe ad hanc humanitatem ordinando illam ad hanc unionem Hypostaticam cum hac subsistentiâ Verbi; attamen nos per nostros conceptus vagos, & confusos possumus dicere; *Deus prædestinavit hunc hominem, ut esset Filius Dei*; aut; *hic homo prædestinatus est Filius Dei*; sic enim, licet Deus, volens creare Petrum, voluerit creare hunc hominem determinatè; nos tamen per conceptus vagos, & confusos possumus dicere, Deum voluisse creare aliquem hominem; siquidem aliquis homo existit, & nihil existit sine Dei voluntate; ergo &c.

499. Respondeo quidquid sit de nostris conceptibus, qui nihil jvant ad illam prædestinationem, quæ tota pendet, non à nostris, sed à divino conceptu. Undè aut Deus tunc concipit ipsam humanitatem sine aliqua subsistentiâ ordinando illam ad subsistentiam divinam; aut cum aliqua determinata, quæ non esset hæc subsistentia Verbi: aut cum aliqua vagâ, & indeterminatâ: Non primum, quia hoc esset prædestinare humanitatem, de qua infra, & non hominem, de quo est quæstio; Non secundum, quia hoc esset prædestinare Petrum v.g. ad subsistentiam Verbi, & non hunc hominem, ostenso Christo: Non tertium, quia jam tunc Deus haberet cognitionem vagam, & confusam subsistentiæ Verbi, quam habere non potest, ut diximus, & sine qua non potuit prædestinare hominem ad subsistentiam Verbi, nihil enim volitum, quin præcognitum. Ad probationem

dicimus, posse nos quidem sic affirmare in creatione, quia totam illam confusionem ponimus in nostris conceptibus, & non in cognitione divina, quatenus vagæ, & confusæ concipimus illum, quem Deus determinatè creavit: at verò non ita esset in prædestinatione, quæ cum tota sit à Deo, in illius cognitione, & non in nostris ponimus ipsam confusionem, quod implicat.

Objicies 4. Prædestinatio, cum sit opus rationis, utpotè quæ sit per intellectum, solam requirit prioritatem rationis in subiectum prædestinatum, & terminum, ad quem prædestinatur; sed datur inter hunc hominem, ostenso Christo, & Filium Dei; siquidem prius ratione concipitur in eo, quod sit *hic homo*, quam quod sit *Filius Dei*; ergo, ostenso Christo potest dici, *hic homo est prædestinatus ut esset Filius Dei*. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem in ordine ad actus divinos, per quos fit prædestinatio; nam hi, cum sint efficaces, & factivi, tendunt in rem, prout est à parte rei sine tali distinctione, & requirunt ex parte termini aliquid diversum à subiecto, quod ad illum ordinatur; cum autem, ostenso Christo, semper à parte rei *hic homo* fuerit *Filius Dei*, & habuerit Filiationem Divinam, idè non potuit prout sic ad illam prædestinari.

Objicies 5. Ostenso Christo, *hic Deus*, sive *hic Filius Dei*, potest dici prædestinatus, ut sit *hic homo*; siquidem ab hoc Deo, sive ab hoc Filio Dei separabile est esse hunc hominem; nam si non assumeretur humanitas, esset *hic Deus*, & *hic Filius Dei*, quin esset *hic homo*: imò de facto fuit ab æterno *hic Deus*, & *hic Filius Dei*, & non sic fuit *hic homo*; ergo etiam ostenso Christo *hic homo* poterit dici prædestinatus, ut sit *hic Deus*, seu *hic Filius Dei*. Respondeo negando antecedens; nam cum *hic Deus*, seu *hic Filius Dei*, ostenso Christo, sit idem cum hoc homine, si *hic homo* non potest dici prædestinatus, ut sit *Filius Dei*, etiam *hic Deus*, seu *hic Filius Dei* non poterit dici prædestinatus ut sit *hic homo*. Ad probationem dicimus, si *hic Deus* sumatur pro sola divinitate subsistente in ordine ad naturam humanam, jam supra de hoc satis dictum: Si autem sumatur pro toto Christo, tunc cum jam includat humanitatem, & hunc hominem ex parte subiecti, non posse prædestinari ad illum, neque ad ipsam humanitatem, ut ad terminum, ut supra dictum est.

Objicies 6. *Hic Deus* sumptus cum supposito vago, & indeterminato, ex eo, quod sit in Patre sine Filiatione, potest dici acquirere per generationem, quod sit *Filius Dei*; ergo etiam *hic homo* ex eo, quod reperitur, quin sit *Filius Dei*, bene poterit dici prædestinatus ad Filiationem divinam; siquidem non requiritur major distinctio inter subiectum, & terminum prædestinationis, quam inter subiectum, & id, quod acquirit per productionem realem. Respondeo ad antecedens, supponi falsum, posse Deum concipere hunc Deum cum subsistentiâ vagâ; illum enim concipit determinatè aut cum tribus, aut cum Paternitate; & sic etiam non potuit concipere hunc hominem cum simili subsistentiâ vaga, ut illum prædestinaret ad Filiationem divinam, sed semper cum illâ determinatè, ex quo potius confirmatur, quam infirmatur nostra doctrina. Neque obstat, quod nos ita possumus concipere in utroque casu; siquidem hæc nostra conceptio nihil probat in ordine ad prædestinationem divinam, ut diximus; aliter dicamus potuisse Deum concipere, hominem vagum, aut communem, quia nos ita possu-

possumus concipere, & eum prout sic prædestinare prædestinatione naturali ad Petrum, aut ad Paulum, cum detur eadem ratio.

503. Instabis: Non repugnat Deo videre objectum confusè; siquidem videndo meam cognitionem confusam, necessariò videt ejus objectum confusum; ergo etiam potuit videre humanitatem, sive hunc hominem cum substantià vagà, & confusà, & illum prout sic prædestinare ad ipsam substantiam, sive Filiationem divinam. Respondeo negando antecedens, ut patet ex alibi dictis in Philosophia, & ad probationem dicimus, Deum videre quidem meam cognitionem confusam, & in illa ejus objectum confusum, non tamen confusè, sed distinctè; aliud enim est attingere objectum confusum, & aliud attingere illud confusè, hæc enim, cum sit cognitio imperfecta, repugnat Deo; illa autem non, utpotè quæ potest esse distincta, ut est; siquidem Deus distinctè cognoscit me cognoscere tale objectum confusè, quod ille etiam cognoscit distinctè.

## SECTIO XXIV.

*Quid dicendum de Christo in ordine ad gloriam, & ad alia dona supernaturalia: & de Humanitate in ordine ad Unionem Hypostaticam?*

504. **D**IFICULTAS I. Utrum Christus Dominus possit dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona gratiæ supernaturalia? Affirmativam sententiam tenent *Alrisodor. lib. 3. sum. tr. 1. quest. 8. cap. 2. P. Vasq. de Incarnat. d. 92. cap. 2. n. 7. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 3. fin. P. Hurt. d. 18. diff. 6. n. 16. P. Arviaga de Incarn. d. 45. sect. 3. n. 30. & alii.* Negativam tamen sententiam sequuntur aliqui ex Thomistis, & cum illis *P. Perez. de Incarn. d. 90. sect. 9. num. 8. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 3. num. 25.* licet cum distinctione; dicit enim, Christum non fuisse prædestinatum ad gloriam, fuisse tamen hunc hominem, ostenso Christo, quod est juxta sua principia: Probat, quia prædestinatio significat donum indebitum; sed gloria, & alia dona gratiæ non erant indebita Christo Domino; erant tamen indebita huic homini formaliter loquendo; quatenus hic homo ipse potest existere sine illis, quin aliquo sibi debito careret; ergo &c.

505. Advertes primò *P. Lugo* cit. supponere, hunc hominem, ostenso Christo, non dicere determinatè substantiam Verbi, sed substantiam in communi, aut aliquam indeterminatam, de quo nos jam supra. Advertes secundò, Christum Dominum non fuisse primò, ac per se prædestinatum ad talem gradum gratiæ, & gloriæ, ut ad finem, & postea fuisse ejus humanitatem prædestinatam ad Unionem Hypostaticam, ut ad medium per quod, & sine quo non posset tantam gratiam, & gloriam consequi, ut tenuit *Scor. in 3. dist. 7. q. 3. S. Respondeo.* Patet, quia non bene supponit Beatitudinem esse majus bonum, quàm Unionem Hypostaticam. Deinde Christus Dominus prius fuit ordinatus ad Unionem Hypostaticam, quàm ad Beatitudinem; ergo cum prædestinatio sit ipsa ordinatio, non fuit prius prædestinatus ad talem Beatitudinem, ut ad finem, quàm ejus humanitas ad Unionem Hypo-

staticam, ut ad medium. Probatur antecedens, quia Unio Hypostatica pertinet ad ejus constitutionem, & non ita Beatitudo, cum sit ejus operatio; sed res prius ordinatur ad suum esse, quàm ad suum operari; actiones enim sunt suppositorum; ergo &c.

Advertes tertio, Christum Dominum non fuisse prædestinatum ad gratiam Unionis, sed sola humanitas; siquidem non ita fuit ordinatus ab æterno ad ipsam unionem ut ad terminum; ergo neque prædestinatus, cum in ea ordinatione consistat prædestinatio. Accedit, quod ipsa unio includitur essentialiter in Christo Domino; nihil autem dicitur prædestinatum ad illud, quod jam essentialiter includit, ut patet ex supra dictis. His positus.

Conclusio 1. Christus Dominus non potest dici prædestinatus ad gloriam, gratiam, & alia dona supernaturalia, sicut sunt, & dicuntur prædestinati alii homines de numero prædestinatorum. Probatur, quia alii, si sint adulti, sunt prædestinati ad gloriam per propria merita consequendam; si vero non sint adulti, ad gloriam consequendam per merita Christi Domini; sed Christus Dominus non ita fuit prædestinatus ad gloriam; siquidem eam de facto nõ meruit, sed habuit titulo naturalis exigentiæ, & ex debito unionis Hypostaticæ, ut suppono probatum ex materia Incarnationis, & nos suo loco dicemus; ergo &c.

Advertes tamen conclusionem procedere de gloria essentiali Animæ Christi Domini, & de illis donis, quæ ad illam supponuntur, & illam sublequantur; non autem de gloria Corporis, exaltatione nominis, aliisque donis, quæ ipsam gloriam accidentalem corporis subsequuntur; nam hæc sicut ex speciali Dei ordinatione fuerunt de facto promerita à Christo Domino, ita potuit Christus Dominus dici ab æterno prædestinatus ad illa, & sic prædestinatum fuisse ad gloriam, & claritatem Resurrectionis dixit *D. Aug. tract. 105. in Joan. 17.* ad illa verba: *Et nunc clarifica me in Pater apud te ipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te: Ubi D. Aug. Tanquam diceret, inquit, illam claritatem, quam habui apud te in prædestinatione tua, jam tempus est, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua.*

Conclusio 2. Christus Dominus potest dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia mediatè, quatenus potest dici prædestinatus ad esse. Ita sentio cum Doctoribus supra citatis pro prima sententia. Probatur, quia gloria actualis, & alia dona supernaturalia ita sequuntur esse actuale Christi Domini per exigentiã, & debitum naturale, ut esset miraculum illa non habere, quod suppono probatum ex materia Incarnationis; ergo non potuit Christus Dominus esse, & dici prædestinatus ad ipsum esse actuale immediatè, quin saltem mediatè esset, & diceretur prædestinatus ad gloriam actualem, gratiam, & alia dona supernaturalia.

Conclusio 3. Christus Dominus non potest absolute dici prædestinatus ad gloriam animæ, & alia dona supernaturalia immediatè, & propriè. Ita sentio cum Doctoribus supra citatis pro secunda sententia. Probatur, quia prædestinatio ad aliquid propriè, & in rigore sumpta, prout supra diximus, significat donum aliquod, & beneficium gratiæ indebitum illi, qui prædestinatur ad illud; sed talis non erat gloria animæ, neque alia dona supernaturalia respectu Christi Domini; siquidem, supposita Unionem Hypostaticam, omnia erant ei debita jure naturæ.

naturæ; ergo non potest de facto dici immediatè & propriè prædestinatus ad illa, Confirmatur, quia ex eo, quod vox *prædestinatus* accipitur pro dono, seu beneficio gratuito, homines de facto non dicuntur prædestinati ad beatitudinem sibi naturalem, & debitam; sed non minùs naturalis, & debita est gloria cum aliis donis supernaturalibus Unioni Hypostaticæ, & ratione illius Christo Domino, quàm naturalis, & debita est homini illa beatitudo; ergo etiam Christus Dominus de facto non dicitur sic prædestinatus ad gloriam animæ, neque ad alia dona supernaturalia. Dixi de facto, nam de possibili, & ex speciali ordinatione divina, si Deus vellet, quod Christus Dominus illam mereretur, idem tunc dicendum de illa, quod nunc de gloria sui corporis. Dixi etiam *propriè*, nam minùs propriè, & lato modo, sic dici potest, ut notat *P. Perez cit. num. 8.* Siquidem dona illa fuerunt ei ab æterno decreta, & prædefinita; & in hoc sensu intelligendi sunt Patres, si fortè aliqui dicunt Christum Dominum fuisse prædestinatum ad hæc dona; accipiendi enim sunt in sensu minùs rigoroso.

Objicies 1. Ex eo, quod existentia Christi Domini fuerit indebita ejus humanitati, licet ejus divinitati fuerit debita, potest absolutè dici prædestinatus ad esse; ergo etiam poterit absolutè dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia, quia licet hæc fuerint debita Unioni Hypostaticæ, & ejus divinitati, erant tamen indebita ejus humanitati. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia subiectum illud in actuali existentia secundum unionem, & humanitatem accepit novum aliquod beneficium, quo poterat carere manendo in statu possibilitatis, quin careret aliquo sibi debito, cum ei non debeatur existere, ideoque potest absolutè dici prædestinatus ad esse existentia, ut ad beneficium sibi indebitum: at verò, supposità existentia, non ita accepit in accipienda gloria, aliisque donis supernaturalibus; siquidem non potuit sic existere actualiter, quin actualiter acciperet illa dona, alioquin careret aliquo sibi debito, non solum secundum Naturam divinam, sed etiam humanam, supposità Unioni Hypostaticæ, ideoque non potest propriè & in rigore dici absolutè prædestinatus ad illa, nullus enim sic dicitur prædestinatus ad id, quod est sibi debitum.

Objicies 2. Deus ab æterno decrevit, ut Christus Dominus frueretur Beatitudine, & ei sic ab æterno præparavit gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia; sed ex D. Aug. in hæc præparatione consistit prædestinatio, ut constat ex illius definitione traditâ ab eodem D. Aug. de qua supra; ergo &c. Respondeo Deum ita quidem decrevisse, & præparasse, non tamen ut beneficium gratuitum superadditum, sed tanquàm debitum naturale, & secundum naturalem exigentiam unionis Hypostaticæ, quod non sufficit ut dicatur propriè prædestinatus ad illa, licet sufficiat, ut sic dicatur impropriè, & lato modo.

Instabis: Hujusmodi dona, cum sint supernaturalia, & non resultent ex unione quasi physice, conferuntur à Deo speciali actione, & influxu; consequenterque speciali Dei voluntate; sed hæc specialis voluntas sufficit ad constituendam prædestinationem; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam illa specialis voluntas de lege ordinaria, supposità primâ voluntate producendi Christum Dominum, esset ei debita, ita ut si Deus de lege absoluta eam voluntatem dandi ei talia dona non haberet, neque ei tribueret ipsa dona, ca-

reret Christus Dominus aliquo sibi debito, sicque si postea illa acciperet, non ea acciperet, sicut modò non accipit, tanquam aliquid sibi indebitum, quod necessarium erat ad rigorosam prædestinationem.

Objicies 3. Justus dicitur propriè prædestinatus ad gloriam; & homo ad gloriam corporis; & tamen illi debetur gloria connaturaliter propter gratiam; & huic connaturaliter debetur gloria corporis propter gloriam animæ; ergo etiam Christus Dominus dicitur propriè prædestinatus ad gloriam, licet hæc sit ei debita propter Unionem Hypostaticam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia licet gloria ex suppositione gratiæ finalis sit justo debita, absolutè tamen, & in radice est ei indebita, quatenus donum perseverantiæ, & auxilia ad illud præstita sunt indebita: similiter licet positâ gloriâ animæ debeatur gloria corporis homini Beato, absolutè tamen, & in radice hæc est ei indebita, sicut absolutè indebita est etiam illa: at verò gloria, & alia dona supernaturalia, neque in radice sunt indebita Christo Domino; siquidem unio, in qua fundantur, est ei essentialis, cum illam essentialiter includat, sicut suam unionem includit essentialiter quodcunque aliud compositum, & non est gratia, neque beneficium, ut ratione illius gloria, & alia dona supernaturalia essent ei indebita saltem in radice, possetque dici absolutè, & propriè prædestinatus ad illa; & ob eandem rationem non potest dici prædestinatus ad gloriam, licet hanc habeat per gratiam, quia utraque est illi debita. Accedit, quod plures negant, posse hominem dici prædestinatum ad gloriam corporis ob eandem rationem, quia scilicet est proprietates consequens gloriam animæ, quâ positâ, illa alia ei debetur.

Conclusio 4. Neque *hic homo*, ostenso Christo Domino, potest dici propriè prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia. Ita *P. Perez cit.* Probatur, quia *hic homo*, ostenso Christo Domino, involvit suppositum divinum, ut diximus, sic enim determinat particula demonstrativa *hic*; ac proinde idem valet *hic homo*; atque Christus alio nomine significatus; sed Christus Dominus, ut diximus, non potest dici propriè prædestinatus ad gloriam, aliaque dona supernaturalia; ergo &c.

Dices cum *P. Lugo cit. num. 27.* *Hic homo* non explicat aliquid ex parte subiecti, cui gloria, & alia dona supernaturalia debeantur; siquidem *hic homo* in suo conceptu non explicat personam Verbi, neque aliquem alium titulum, ratione cujus ei debeantur; ergo potest dici propriè prædestinatus ad illa; cum sint ei indebita saltem in radice, quatenus scilicet Unio Hypostatica est ei etiam indebita. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, ut patet ex supra dictis; nam terminus *hic* ostenso Christo Domino determinat, & efficit, quod idem valet *hic homo*, atque Christus, qui cum non possit sic dici propriè prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia, neque etiâ quatenus significatur nomine *hic homo* ipso assignato, Neque dicas, Deum concipere hunc hominem cum supposito vago, (sicut nos possumus illum concipere,) & postea illum ordinare ad gloriam, & alia dona. Non, inquam, hoc dicas; siquidem talem modum concipiendi Deo repugnat, ut patet ex dictis à n. 498. Neque Unio Hypostatica est indebita Christo Domino, licet talis sit humanitati illius, quæ an possit dici prædestinata ad illam? Jam dicimus.

Difficultas 2. Utrum Humanitas Christi Domini

mini possit dici prædestinata? Advertes primò, difficultatem procedere de Humanitate sumpta in abstracto, prout condistinguitur à concreto, sive Persona, & ejus nomine intelligi tam naturam integram, quàm ejus partem principalem, nempe animam rationalem, de quibus eadem est quæstio. Secundò, difficultatem posse procedere de prædestinatione Humanitatis simpliciter: aut in ordine ad unionem hypostaticam: aut in ordine ad gloriam, sive visionem Beatam. Hoc posito.

518. Dubium 1. Utrùm Humanitas Christi Domini possit dici simpliciter, & sine addito propriè prædestinata? Negativè. Ita *D. Thom. 3. p. q. 24. a. 1. ad 2. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4. sine. P. Lugo de Incarn. d. 32. sect. 3. num. 31. & alii.* Probatur, quia prædestinari simpliciter in communi usu nihil aliud est, quàm dirigi, & ordinari ut quod ad salutem consequendam per media convenientia; sed hoc soli personæ propriè, & simpliciter convenit; siquidem sola persona, sive suppositum applicat media; sunt enim actiones suppositorum; & solum suppositum consequitur salutem ut quod; ergo de sola humanitate non potest simpliciter, & propriè dici, quod sit prædestinata sine aliquo termino superaddito. Confirmatur, quia prædestinatio absolute dicta est pars providentiæ divinæ, ut supra diximus; sed providentia divina propriè, & simpliciter versatur circa supposita, vel personas, quas gubernat, circa naturas verò, non nisi ratione suppositorum; ergo sola supposita, & non naturæ dicuntur simpliciter, & sine addito propriè prædestinari.

519. Dubium 2. Utrùm Humanitas Christi Domini dicatur propriè, & verè prædestinata ad unionem Hypostaticam? Affirmativè. Ita *Durand. in 3. dist. 7. q. 9. n. 9. Paludan. q. 3. art. 3. conclus. 1. Scot. q. 3. §. Respondeo, Richard. art. 2. q. 4. ad 2. Major. Gabr. & alii, quos citat & sequitur. P. Vásq. 3. p. d. 90. cap. 4. n. 27. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4. P. Lugo de Incarn. d. 32. sect. 3. num. 30. P. Arriaga de Incarn. d. 45. sect. 3. num. 30. & alii.* Probatur, quia Deus ab æterno ex benevolentia elegit humanitatè ad hujusmodi unionem, ut ad supremum beneficium; sed in hac electione consistit prædestinatio propria; ergo &c. Confirmatur primò ex *D. Aug. de prædest. Sanctor. cap. 15.* ubi loquens de hac Humanitatis assumptione: *Prædestinata est, inquit, ista humane nature a tanta subjectione, ut quò atolleretur, aliàs non haberet.* Secundò, quia hic cessat ratio supra facta; siquidem unio propriè convenit naturæ, & non personæ; ergo natura propriè dici potest ad illam prædestinata. Tertio, quia hoc modo facilè, & expedite explicatur hoc mysterium; nam sic intelligitur quomodo, quod primò Deus decrevit, nihil aliud fuerit, quàm humanitatem uniri Verbo; ergo &c.

520. Dices: Prædestinari propriè ad unionem Hypostaticam est propriè prædestinari ad Filiationem divinam; sed Humanitas Christi Domini non fuit ad hanc propriè prædestinata; alioqui propriè diceretur Filius Dei; ergo neque ad illam. Respondeo negativè majorem; sicut enim hic homo Christus, (utaliqui dicunt,) dicitur prædestinatus ad Filiationem Divinam, & non ad unionem, quia dicitur Filius Dei, & non ita dicitur unius: ita etiam Humanitas potest dici prædestinata ad unionem, & non ad Filiationem divinam, quia dicitur unita, & non Filius Dei. Et ratio est, quia solum compositum resultatans ex unione dicitur Filius Dei, & non sic extrema unita; neque enim de Humanitate in abstracto prædi-

cantur illa, quæ dicuntur de Deo in concreto, sed solum unum concretum naturæ dicitur de alio alterius naturæ etiam in concreto sumpta.

Instabis: Humanitas dicitur propriè prædestinata ad sanctificationem proveniente non solum ab unione ut à conditione, sed etiam à Deitate, & Personalitate Verbi; siquidem re vera fuit per illas sanctificata; talis autem sanctificatio respectu illius fuit maxima gratia; ergo etiam dicitur propriè prædestinata ad ipsam Filiationem Verbi. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filio Divino, (sicut neque alia filio,) non denominat abstractum naturæ, sed solum ejus concretum, nempe personam; cum autem sola humanitas non sit persona, ideo est incapax talis effectus, ac denominationis: non ita tamen est incapax, etiam in abstracto alterius effectus, ac denominationis, nempe sanctificationis, ideoque propriè potest ad hanc, non tamen ad illam dici prædestinata.

Dubium 3. Utrùm Humanitas Christi Domini fuerit prædestinata ut quod, & ultimè ad gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia? Negativè. Ita *D. Thom. 3. p. q. 24. a. 1. ad 2. D. Bonar. in 3. dist. 7. art. 2. q. 3. ad 2. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4. & alii.* Probatur primò auctoritate *D. Thom. loco cit. ibi: Prædestinari, inquit, est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinem finem: ubi Sanctus Doctor non naturæ, sed supposito tribuit propriè beatitudinem, quæ in operatione consistit; operari autem sit proprium suppositi, & non naturæ, sicque naturam non dici propriè prædestinari ad beatitudinem ut quod, & ultimè.*

Probatur secundò, quia Deus non prædestinavit creaturas extrahendo illas ab earum inclinatione, & ordinatione, imò semper se illis conformando, quantum fieri poterat; sed humanitas non inclinatur, neque ordinatur (in quo consistit prædestinatio) neque ad gratiam, neque ad gloriam, aliavè dona, ut quod, & ultimè; siquidem hæc prout sic semper dicunt ordinem ad suppositum, & ad naturam ultimè completam, quam ut suum subiectum ultimum, & ut quod respiciunt; ergo neque ad illa fuit ab æterno prædestinata à Deo ut quod ultimè; siquidem ex tunc ita fuit ad illa ordinata, ut postea illa erat habitura in tempore.

Dices 1. Humanitas fuit prædestinata ut quod, & ultimè ad unionem hypostaticam; ergo etiam ad gloriam, & alia dona. Respondeo negativè consequentiam; diversa ratio est, quia unio denominat humanitatem ut quod, & ultimè, neque enim ab illa transit denominatio unitæ ad compositum; siquidem Christus non dicitur unius, sed sola humanitas: at verò gloria, gratia, & alia dona, cum ordinentur ultimè ad suppositum, non solum humanitatem, sed etiam totum suppositum, illudque ultimè denominant; totus enim Christus dicitur glorificatus, gratus, &c. ideoque humanitas dicitur prædestinata ad unionem ut quod, & non ita ad gloriam, & alia dona.

Dices 2. Anima eo modo fuit prædestinata ab æterno ad gloriam, quo illam assequitur, & possidet in tempore; sed illam assequitur, & possidet sine corpore, sicque sine supposito; ergo sine illo fuit ut quod & ultimè prædestinata ad gloriam. Respondeo ad minorem ita quidem assequi, & possidere, sed tantum ut quod; non autem ut quod: nam sicut ipsa anima in statu separationis dicit ordinem ad constituendam personam cum corpore

corpore; ita etiam ejus gloria, & alia accidentia, quæ illam subsequuntur dicunt ordinem ad ipsam personam ut quod & ultimè.

526. Dubium 4. Utrum Humanitas Christi Domini fuerit prædestinata ad gloriam, & alia dona, saltem ut quo, & mediè ratione unionis Hypostaticæ? Affirmativè. Probat, quia fuit prædestinata immediè, & ut quod ad unionem Hypostaticam, ut diximus; sed hanc subsequuntur omnia illa dona connaturaliter; ergo etiam ipsa Humanitas poterit dici ad illa prædestinata; non immediè, ut potè ratione unionis; neque ut quod, quia sic dicunt ordinem ad suppositum; ergo mediè, & ut quo.

527. Dices 1. Gloria, seu Beatitudo est operatio; sed sola persona operatur; operationes enim sunt suppositorum; ergo sola persona fuit prædestinata ad gloriam. Respondeo solam personam fuisse sic prædestinatam ut quod, cum quo tamen stare potest, quod humanitas fuerit etiam prædestinata ad illam ut quo.

528. Dices 2. Res fuerunt ita ab æterno prædestinatæ, ut erant realiter futuræ in tempore; sed Humanitas Christi Domini in tempore non erat ita futura in abstracto; non enim fuit prius creata, quàm unita; ergo non potuit sic in abstracto prædestinari. Respondeo primò cum aliquibus in præsentibus non affirmari, naturam fuisse prædestinatam in abstracto, sed solum prout est pars concreti, & ut pars in illo includitur. Non placet, nam concretum indè resultans non fuit propriè prædestinatam ad gloriam, & ad alia dona, ut supra diximus, sicque neque natura ut pars potuit ratione illius, & cum illo propriè prædestinari. Respondeo igitur secundò, sufficere eam prioritatem, in qua natura fuit præsupposita ut extremum ad unionem Hypostaticam, ut dicatur propriè prædestinata, primò ad ipsam unionem; secundò ad gloriam, aliaque dona supernaturalia, quæ illam subsequuntur.

529. Dices 3. Facta prius prædestinatione Humanitatis ad unionem, jam ipsa gloria, & alia dona ei debentur; ergo non potuit ad illa prædestinari. Respondeo ad antecedens, jam ei deberi in se, non tamen in radice, nam radix, nempe unio fuit gratia, & beneficium, quod factis est, ut illa etiam dicantur gratia, & beneficium absolutè, consequenterque terminus prædestinationis.

## SECTIO XXV.

*Verum Christus Dominus fuerit prædestinatus ad esse ut Redemptor ante præscientiam absolutam peccati originalis?*

530. **S**UPPONO ex materia de Incarnatione, motivum totale ex quo Christus Dominus fuit prædestinatus ad esse fuisse de facto remedium peccati. Ita P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 1. n. 1. P. Vasq. de Incarn. d. 10. cap. 4. n. 36. cum aliis ab eo citatis. Probat, primò, quia cum motiva Incarnationis tota pendeant ex libera Dei Voluntate, sola illa, & nullà alia debent à nobis recognosci, nisi quæ nobis innotescunt ex divina revelatione facta in Scripturis; sed solum remedium peccati exprimitur in Scripturis fuisse motivum prædestinationis Christi ad esse, sive Christi venturi; ergo &c. Probat, minor ex illo

Tom. 1.

Luc. 19. Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Et Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Et 1. Tim. 1. 15. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus 7 E SUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Et ad Galat. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Quibus in locis, & sæpè alibi, absolutè dicitur, Christum hac de causa venisse in mundum, sive hominem factum fuisse; ergo &c.

531. Probat, secundò ex Sanctis Patribus. D. Athanas. lib. de Humanit. Verbi. Illius incorporationis, ait, nos causam dedimus, & ob nostram salutem ita humanus extitit, ut in humano corpore esse vellet, & apparere. Et serm. 3. contra Arianos. Non igitur propter se ipsum, sed propter nostram salutem, & ob demeritionem mortis, & condemnationem peccati, & ut cæci visum reciperent, & omnes à mortuis excitarentur advenit. Et D. August. serm. 9. de verb. Apostol. Nulla, ait, causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicina. Et D. Basil. hom. 25. de Christ. human. generat. Disce, ait, mysterium, propterea Deus in carne est, quia oportebat, maledictam hanc carnem sanctificari. Et D. Amb. lib. de Incarnat. cap. 6. Quæ erat, ait, causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur? Idem tenent D. Hieron. D. Cyril. Alexand. D. Damascen. D. Chrysol. Tertul. D. Greg. Nazianz. Theodor. Theophylact. D. Epiphani. D. Greg. Nyssen. D. Cyrill. Hierosolym. & alii. Hoc supposito.

532. Advertes primò, hujusmodi quæstionem procedere, supposità Scientiâ Mediâ de peccato conditionatè futuro; alioqui; illà sublata, non posset Deus efficaciter prædefinire Christum ut Redemptorem formaliter, quin vellet positivè ipsum peccatum, & ad illud prædeterminaret voluntatè creatam, quod implicat. Probat, quia Deus non ita prædefiniret Christum ut Redemptorem, nisi per aliquod medium involvens infallibiliter peccatum; alioqui frustraretur ejus decretum efficax; sed nullum aliud occurreret infallibile, sublata Scientiâ Mediâ, nisi auxilium prædeterminativum voluntatis creatæ; ergo hoc eligeret; sed omne auxilium prædeterminativum ita impellit voluntatem creatam, ut non permittat secum decretum indifferens de concurrente ad oppositum, imò ita prædeterminat, ut eam necessitet; ergo ita illam necessitaret ad peccatum; consequenterque illud vellet positivè. Confirmatur ex supra dictis, ubi diximus de electione efficaci ad gloriam ante Scientiam Mediam.

533. Advertes secundò, Christum Redemptorem dupliciter sumi posse: Primò fundamentaliter, nempe pro composito ipso ineffabili in carne impassibili, sub conditione tamen quod ipsa impassibilitas non impediretur occasione peccati futuri. Secundò formaliter, nempe pro ipso composito jam in carne passibili, & hoc, aut in actu primo, id est cum potentia ad patiendum; aut in actu secundo jam cum passione.

534. Advertes tertio, quæstionem non procedere de Christo fundamentaliter Redemptore: tum quia, ut supposuimus, non fuit de facto ita prædestinatus: tum etiam quia, eo dato, bene potest prout sic esse prædestinatus ante prævisum originale in esse absoluto; siquidem prout sic esset prædestinatus propter excellentiam mysterii independentem à remedio peccati, ac proinde ab ejus præscientia in esse absoluto.

Hh

Advertes

535. Advertens quod, de Christo Redemptore formaliter in actu primo, plures asserere potuisse prædestinari ante prævisum peccatum in esse absoluto. Probat, quia ut Christus sic prædestinaretur passibilis, satis erat, quod prævideretur peccatum conditionatè futurum, nempe si Adamus poneretur in tali, aut tali occasione, in qua esset peccaturus: Sicut ut Deus communicaret herbis virtutem curandi morbos, & alia remedia præpararet, satis erat quod ipsi morbi præviderentur conditionatè futuri. Deinde ut Rex prepararet instrumenta supplicii, satis erat, quod prævideret culpas conditionatè futuras. Imò ex communi Theologorum Deus de facto preparavit ignem Inferni ante absolutam prævisionem demeritorum, positam tantum eorum præscientiâ conditionatâ. Advertens quod, quæstionem totam procedere de Christo formaliter Redemptore in actu secundo, id est jam sub actuali passione: In qua sit:
536. Assertio 1. Probabile est Christum Dominum fuisse de facto prædestinatum ut Redemptorem in actu secundo ante absolutam præscientiam peccati, dependentem tamen ab ejus præscientiâ conditionatâ. Ita *P. Arriaga de Incarnat. d. 15. sect. 4. n. 33. P. Amicus de Prædest. d. 15. sect. 5. n. 173.* & aliqui Recentiores. Probatur, ideò Christus Dominus non fuisset sic ut Redemptor prædestinatus, aut quia tolleretur libertas creata, cogereturque voluntas ad peccatum: aut quia Deus sic prædestinans obligaretur velle positivè ipsum peccatum; sed nullum ex his sequitur; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus, ut supra probavimus, absque ullâ læsione, aut violentia nostræ libertatis potuit nos efficaciter eligere ad gloriam ut coronam per merita assequendam cum sola dependentia à nostris meritis conditionatè futuris, & suppositâ tantum scientiâ mediâ; ergo etiam sic potuit eligere Christum ut Redemptorem formaliter cum sola dependentia à peccato conditionatè futuro, & suppositâ tantum ejus scientiâ mediâ; nam sicut illic solùm obligaretur ad danda illa auxilia, quæ præviderat efficacia; ita etiam hic solùm obligaretur ad ponendam voluntatem permissivam, & danda illa auxilia, quæ præviderat tantum sufficientia.
537. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia nullus ex efficaci intentione alicujus finis cogitur plus velle, & amare, quàm necessarium est, ut ipse finis sic intentus acquiratur; alioqui dicamus, medicum, & infirmum ex efficaci intentione salutis assequendæ plus velle, & amare, quàm necessarium est ad ipsam salutem assequendam; sed ut ponatur Redemptio generis humani à parte rei, necessaria non est illa volitio Dei positiva, & amor peccati; siquidem ad id sola sufficit permissio peccati, quod prævideretur sub tali, aut tali conditione futurum; ergo ex efficaci intentione Christi Redemptoris non cogeretur Deus velle, & amare peccatum positivè, sed tantum permissivè, quod non repugnat.
538. Confirmatur primò, quia prout supra diximus, Deus ante absolutam prævisionem peccati D. Petri elegit eum efficaciter ad gloriam comparandam per poenitentiam, & contritionem supponentem essentialiter ipsum peccatum; & tamen inde non sequitur voluisse positivè ipsum peccatum; ergo etiam potuit velle efficaciter Redemptionem ante prævisionem absolutam peccati, quin voluerit positivè ipsum peccatum. Secundò, quia si Deus scientiâ mediâ videat Petrum v.g. in talibus circumstantiis positum infallibiliter peccaturum, potest velle illum ponere in eis circumstantiis, quin velit ipsum peccatum positivè; ergo etiam poterit sic velle Redemptionem, quin velit ipsum peccatum; neque enim majori necessitate sequeretur hoc peccatum ex hac volitione Redemptionis, quàm ex illa volitione ponendi Petrum in talibus circumstantiis sequeretur ejus peccatum.
- Tertio, quia sic benè explicantur loca Sacre Scripturae, & Sanctorum Patrum, quæ videntur facere Christum Dominum initium omnium Dei operum, ac creaturarum; siquidem prout sic manet primus omnium in intentione, licet non ita fuerit in executione; ergo &c. Neque inde sequitur, quod adhuc veniret, etiam deficiente peccato; siquidem cum sit prædestinatus ut Redemptor; Redemptor autem dependeat essentialiter à peccato, saltem conditionatè futuro, benè sequitur, non venturum, deficiente ipso peccato.
- Oppositum tenent *P. Soar. de Incarnat. d. 15. sect. 3. §. Dico ergo secundò. P. Vasq. de Incarnat. d. 11. cap. 4. num. 39. P. Herice tr. 3. d. 30. cap. 6. n. 47. P. Perez de Incarnat. d. 14. sect. 8. num. 2. & alii.* Pro quibus: Objicies 1. Deus non potuit velle efficaciter Christum ut Redemptorem ante præscientiam absolutam peccati, quin saltem virtute vellet id, quod est simpliciter necessarium ad actum Redemptionis; sed ad hunc simpliciter necessaria est captivitas peccati, tanquàm materia, & medium unicum; ergo Deus necessariò vellet hujusmodi captivitatem, & consequenterque ipsum peccatum, quod est idem, efficaciter; sed hoc non potest ita velle; ergo neque illud, ex quo sequitur.
- Respondeo majorem esse veram, nisi Deus jam aliquo modo sciret peccatum ab alio infallibiliter ponendum, & independentem à propria volitione, & amore; tunc enim sufficere si permittat, seu illud non impediatur. Patet à simili, quia si Deus per scientiam absolutam videat ipsum peccatum ab alio jam positum, & tunc velit efficaciter Redemptorem, non ideò dicitur velle ipsum peccatum, quia illud videt jam existens independentem à propria voluntate; ergo similiter si per scientiam mediam videat peccatum ita infallibiliter ponendum, & velit efficaciter Redemptorem, non ideò dicitur velle ipsum peccatum; siquidem parum distat videre illud jam existens, aut videre infallibiliter ponendum ab alio independentem à propria voluntate.
- Instabis: Qui vult antecedens, vult etiam consequens; sed Deus vult antecedenter Redemptorem; ergo etiam volet peccatum, quod ex tali voluntate consequitur. Respondeo majorem esse veram, quando consequens est necessariò conexum cum antecedente independentem à voluntate alterius; cum tamen à tali voluntate dependeat, & hæc prævideatur infallibiliter determinanda, satis erit, si velit permittere, & non impedire, & hæc tantum voluntas sequitur tunc ex illa antecedente.
- Objicies 2. Deus eodem actu, quo voluit nobis efficaciter gloriam ut coronâ, etiam efficaciter voluit, ut non esset corona sine meritis; sed etiam non potest dari Redemptor sine captivitate peccati; ergo eodem actu, quo Deus efficaciter vellet Redemptorem, vellet etiam efficaciter, saltem virtute ipsam captivitatem; nam sicut velle illa merita includitur in volitione dandi auxilia congrua, ex quibus illa sequuntur; ita etiam velle peccatum includitur in volitione dandi auxilium permissivum, ex quo sequitur ipsum peccatum.
- Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cum bona opera dari nequeant sine

Voluntate Dei positiva, à quo incipiunt; mala verò opera supponere nequeant ipsam Voluntatem Dei positivam, sed tantum permissivam juxta illud Osee 13. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum*; idèd affirmamus in electione ad gloriam includi, saltem virtute voluntatem positivam meritorum; & non ita includi voluntatem positivam, sed solum permissivam in electione Redemptoris. Undè si dari possent bona opera sine illa Voluntate Dei positiva; tunc eodem modo dicendum esset solum eorum permissionem includi in illa electione efficaci ad gloriam ut coronam, sicut modò dicimus de inclusione permissionis peccati in illa electione efficaci Redemptoris.

545. **Objicies 3.** Non posset Deus, datà illà prædestinatione Redemptoris, habere odium efficacis peccati; siquidem non posset impedire ipsum peccatum; sed non haberet ex quo impediret tale odium, nisi per amorem efficacem ipsius peccati; ergo Deus efficaciter illud amaret, quod non est dicendum. Respondeo primò, argumentum, si aliquid probat, probare etiam in qualibet permissione peccati, ex quocumque motivo illa sit; siquidem cum omni illà repugnat omninò odium efficacis peccati, quatenùs impossibile est, quod Deus velit efficaciter permittere peccatum, & simul velit efficaciter, nè peccatum existat: cum autem Adversarii non possint negare in Deo permissiones peccatorum; nihil enim fit sine voluntate Dei, aut positiva, si fit bonum; aut permissivà, si fit malum; idèd non benè arguunt contra nos.

546. Respondeo secundò, verum quidem esse in ea prædestinatione Redemptoris includi voluntatem virtuales permissionis peccati, consequenterque virtuales carentiam odii efficacis illius; siquidem ex eo, quod quis cogitur ad aliquid permittendum, cogitur etiam ad illud odio efficaciter non habendum, seu quod idem est ad illud non impediendum: attamen non indè inferitur illud amare positivè efficaciter; alioqui idem esset in Republica permittere aliquam occisionem, meretrices, & similia, consequenterque illas odio efficaciter non habere, atque positivè amare, quod nullus dicit.

547. **Objicies 4.** Deus ex communi Theologorum non potest ex se voluntate antecedente prædefinire efficaciter pœnam ut pœnam ex eo, quod in voluntate ipsius pœnæ quà talis includitur voluntas positiva peccati; nempè si Deus videat Petrum moriturum in peccato mortali, si ponatur in tali occasione, non potest eum destinare ad Infernum ut ad pœnam prout sic, antequam videat ejus peccatum absolute futurum, & mortem in illo; aliter enim vellet ejus culpam, si prout sic vellet ei priùs pœnam ut pœnam. Similiter etiam non potest prædefinire poenitentiam prædestinati ante absolutam præscientiam peccati illius, de quo acturus est poenitentiam, ex eo, quod cum peccatum sit materia circa quam, necessariò etiam deberet velle efficaciter ipsum peccatum; ergo similiter de antecedente electione efficaci Redemptoris.

548. Respondeo negando antecedens quoad primam partem, jam enim supra diximus Deum de facto præparasse pœnas Inferni ante præscientiam absolutam peccatorum. Neque dicant hanc pœnam esse tantum in actu primo, argumentum autem procedere de pœnis in actu secundo: Non, inquam, hoc dicant, dicimus enim, has pœnas non

repugnare ex eo, quod Deus volendo illas, vellet etiam necessariò peccata; siquidem solum velles eorum permissionem, supponendo Scientiam Mediam; sed ex eo, quod videatur indignum infinità Dei bonitate, quod primò, ac directè velit, & amet pœnam ut pœnam, ut ex illa sibi gloriam acquirat, & non potius quasi coactus feratur ad illam, ut patet ex supra dictis d. 1. sect. 12. à num. 234. ex quo etiam capite videtur dedecere Deum torquere hominem non peccatorem perpetuis Inferni ignibus; sicque nihil contra nos. Ad secundam partem antecedentis respondetur etiam negando illam, ut patet ex supra dictis, & ex infra dicendis latius patebit.

549. **Objicies 5.** Deus non potest prædefinire efficaciter cultum religiosum, nisi simul velit producere materiam aptam ad illum: Neque prædefinire efficaciter conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, quin simul velit producere ipsam substantiam; ergo etià non poterit velle efficaciter Redemptorem, quin simul velit peccata. Respondeo antecedens quoad utramque partem esse verum, si non videat materiam cultus, aut substantiam panis sub aliqua conditione ab alio infallibiliter ponendas; nam si ita videat, poterit tunc prædefinire efficaciter, volendo tantum permittere, si non impedire earum positionem, quod etiam accidit in peccatis, ideoque ante eorum scientiam absolutam, supposità tamen Conditionatà, potuit prædefinire Redemptorem; sicque argumentum potius confirmat, quàm infirmat traditam doctrinam.

550. **Objicies 6.** Ante decretum prædestinans Christum Redemptorem, peccatum esset tantum in statu futuritionis conditionatæ, & post ipsum decretum maneret jam in statu futuritionis absolutæ; siquidem post illud decretum Redemptio quantum est ex parte Dei manet absolute futura, & non ita manet respectu peccati conditionatè futuri, quia peccatum prout sic, cum non sit alicujus demeriti, ac offensionis, non est capax Redemptionis, sicque manet absolute futurum quantum est ex parte Dei; sed non potuit transire ab statu conditionato ad statum absolutum sine aliquo decreto Dei ita decernentis; ergo hoc includeretur in illo prædestinante Christum Redemptorem; consequenterque in illo Deus positivè vellet peccatum.

551. Respondeo negando majorem; nam peccatum non potest transire ab statu conditionato ad absolutum, nisi posità conditione, & data determinatione absoluta voluntatis creatæ; siquidem per easdem causas, per quas habebat esse conditionatum ante conditionem ponendam, postea habet esse absolutum, illà jam posità; cum autem sola prædestinatio Christi Redemptoris, neque ponat conditionem, neque determinationem absolutam voluntatis creatæ, idèd non efficit, quod peccatum maneat absolute futurum in se, licet ipsum peccatum possit videri aliquo modo futurum; seu quod erit futurum in se per solam infallibilem consequentiam; sicut etiam videtur in permissione ipsius peccati simul cum negatione auxilii efficaciis, cum tamen adhuc non videatur tale in se, quia adhuc deest absoluta determinatio, seu consensus voluntatis, sine quo ipsum peccatum non habet esse futurum in se absolutum, ideoque in se tale non est. Ad probationem dicimus, Redemptionem manere futuram, non tamen ad expellendum peccatum, quamdiu est in statu conditionato, sed prout postea ponetur in statu futuritionis

ritionis absolutæ per absolutam determinationem voluntatis, in quo nulla datur repugnantia.

552. **Obijcies 7.** Si puer moribundus baptizari nequeat, nisi per Baptismum simoniacè factum, aut per dejectionem in puteum, non potest justus, ut justus velle efficaciter talè puerum baptizari; alioqui cum ipse Baptismus fieri nequeat sine peccato, actus elicitus à charitate, qualis est actus elicitus à justo, ut justo, esset virtualis volitio peccati; sed Redemptor, ut Redemptor non potest etiam stare sine peccato; ergo Deus non potest illum velle, quin etiam velit peccatum, quod implicat. Respondeo ad majorem, non posse justum velle illum Baptismum ut à se faciendum; sicut enim tenetur non committere peccatum, ita etiam tenetur illud in se ipso non permittere: posse tamen illum velle, si videat ab alio infallibiliter faciendum, & alioqui non teneatur, aut non possit impedire; siquidem tunc solum vellet permissionem peccati, & non ipsum peccatum in volitione Baptismi, licet hic habeat connexionem cum illo: sic enim actus, quo Deus complacebat in Christo passibili, non erat actus, quo Deus vellet peccatum, licet Christus passibilis haberet connexionem cum peccato: & sicut scientia creata de peccato habet cum illo connexionem; & tamen Deus complaceat in ipsa scientia, & non ita in peccato; sicque de aliis; ergo similiter.

553. **Instabis:** Sequeretur Deum ante prævisa peccata Judæorum in esse absoluto, prædefinivisse efficaciter actus Christi Domini, quos exercuit in sua Passione dum flagellabatur, coronabatur, & crucifigebatur, offerendo omnia sigillatim Patri pro ipsis Judæis; sed hoc est falsum; alioqui cum tales actus supponerent essentialiter peccata, eorum prædefinitio efficax esset volitio virtualis talium peccatorum; ergo idem dicendum de Christo Redemptore. Respondeo negando minorem; Deus enim non solum prædefinit mortem externam Christi, sed eam ut imperatam, & informatam ab illis actibus internis Christi, qui supponebant essentialiter peccata Judæorum, neque tamen ex eo volebat positivè, sed tantum permittebat ipsa peccata, ut antea præviderat per scientiam mediam committenda. Confirmatur opinio eorum, qui dicunt, Christum fuisse à Deo prædefinitum passibilem solo præviso peccato originali, non verò actualibus in esse absoluto; cum tamen omnium fuerit Redemptor.

554. **Obijcies 8.** Deus si ante præscientiam absolutam peccati potest prædestinare Christum Redemptorem, potest etiam ex se velle, homines indigere redemptione; siquidem hæc duo inferuntur necessariò, & sunt inter se connexa; sed non ita potest hanc hominum indigentiam velle; siquidem cum indigere Redemptore idem sit, atque habere peccatum, idem esset velle ipsam indigentiam, atque velle peccatum; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim vellet Deus talem indigentiam, sed prævidendo illam in esse conditionato postea infallibiliter futuram, solum vellet ejus permissionem, ut patet ex dictis. Unde ex illa prædestinatione non sequitur necessariò ruina generis humani, ut aliqui malè inferunt, sed tantum ejus permissio, ipsa verò ruina ex sola malitia humana, quæ voluntariè ad illam determinatur, medio peccato.

555. **Obijcies 9.** Ideò admittenda est hujusmodi prædestinatio Christi ante præscientiam absolutam peccati, quia sic melius explicatur quomodò sit Angelorum caput, & Dominus merendo omnibus

gratiam, & gloriam; sed non ita melius explicatur; siquidem Christus prout sic solum concipitur intentus, & non exequendus; prout autem intentus tantum, non potest mereri; cum adhuc non habeat existentiam in se absolutam, quia adhuc applicata non est Omnipotentia, sed applicanda est per secundum decretum executivum; ergo &c. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem, & ejus probationem; nam cum illa electio Christi fuerit intentiva simul & executiva in actu signato, per se tantum postea sine alio decreto applicaret Omnipotentiam in actu exercito, licet posito jam peccato, sicque fecit Christum absolute futurum, & merentem Angelis, & hominibus.

**Instabis:** In eo signo peccatum solum erat sub conditione futurum; ergo etiam sic tantum esset Redemptor. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia adhuc creatura non erat absolute, sed tantum sub conditione determinata ad peccatum: at verò illa electio efficax absolute decreverat Christum Redemptorem, quin id repugnet; siquidem qui scit miseriam infallibiliter futuram, benè potest absolute præparare ei remedium, etiam antequam videat absolute futuram: sic enim ut impediatur lapsus opus non est, quod videatur absolute futurum; sed satis est, si videatur futurum sub conditione: ut patet in Deo præparante auxilia efficaciter ad impedienda peccata, quæ videt futura sub conditione.

**Inferes:** Ergo ex vi talis decreti veniret Christus, etiam si non poneretur peccatum, cum fuerit decretus ante illud prævisum. Respondeo negando illationem; nam illud decretum, cum supponat, ut diximus, Scientiam Mediam de peccato, & ei accomodetur, induit ejus conditiones: unde sicut illa, facta suppositione impossibili, quod peccatum non eveniret, non esset certa; ita neque Christus certò veniret ex vi illius decreti: cum tamen illa sit metaphysicè certa, quia peccatum infallibiliter eveniret; ita etiam Christus, posita electione, certò veniret. Patet exemplo electionis efficacis ad gloriam, quæ facta fuit ante prævisa merita, de quâ supra; est enim eadem ratio.

**Advertes hic in hac opinione aliquos inferre,** non fuisse primò intentam Redemptionem ut finem, & postea electam Incarnationem ut medium ad illam habendam: imò potiùs primò fuisse intentam ut finem Incarnationem, & postea electam Redemptionem ut medium ad illam exequendam: sicut priùs intenta fuit gloria ut finis, & postea electa merita ut medium ad talem finem consequendum. Unde licet Christus fuerit prædestinatus ut Redemptor, id parùm refert; siquidem etiam gloria fuit decreta ut corona, & tamen ratio coronæ non habuit rationem finis respectu ipsius gloriæ; cum hæc tota decreta fuerit ut medium ad divinam Bonitatem ostendendam, & commendandam; sicque similiter neque ratio Redemptoris habuit rationem finis respectu ipsius Christi, sed totus fuit decretus ad augendam Misericordiam & gloriam divinam.

## SECTIO XXVI.

Proponitur, et defenditur sententia  
negativa tenenda.

559. **A**SSERTIO 2. Christus Dominus de facto non fuit prædestinatus, nisi post prævisum peccatum in esse absoluto. Ita communior, & probabilior sententia, eam tenent *D. Thom. 3. p. q. 1. a. 3. Caiet. ibid. Ferrar. 4. contr. gent. 55. Capreol in 3. dist. 1. q. unic. a. 1. conclus. 1. Carthusian. Tarantasia, Abul. Marsil. in 3. q. 1. art. 3. D. Benavent. in 3. dist. 1. art. 2. q. 2. Richard. ibid. art. 1. q. 2. Gabr. dist. 2. q. unica art. 3. dub. 3. quos citat & sequitur P. Vasq. de Incarnat. d. 10. cap. 2. n. 36. P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 1. n. 2. P. Gasp. Hurt. de Incarnat. d. 1. diff. 26. num. 140. P. Arriaga de Incarnat. d. 15. sect. 4. n. 39. P. Tanner. de Incarnat. d. 1. q. 1. dub. 5. & alii plures apud citatos. Probatum primò ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus supra adductis à num. 530. Ex quibus facis constat, Christum Dominum fuisse prædestinatum in remedium peccati, sicque post peccatum prævisum in esse absoluto.*

560. Probatum 2. quia totum motivum, ut diximus, propter quod Christus Dominus fuit de facto prædestinatus, fuit expulsio peccati; sed ad hanc conaturalis erat, quod prævideretur ipsum peccatum in esse absoluto, & in illo necessitas redemptionis, quam quod solùm prævideretur in esse conditio- nato; sic enim melius videbatur necessitas, & efficacia Redemptionis; ergo &c.

561. Probatum tertio, quia Deus, cum posset prædestinare Christum ob excellentiam mysterii & complementum universi, non ita prædestinavit, sed voluit expectare, quod urgeret necessitas generis humani, ut magis lucerent ejus Attributa, præsertim Misericordia, & Benevolentia; ergo ut magis lucerent, debuit expectare, quod urgeret major necessitas, qualis erat in homine lapsò per peccatum jam in esse absoluto; sic enim magis relucebant ejus Attributa, quatenus conferebat beneficium actuali inimico.

562. Probatum quarto, quia Deus prædestinans Christum passibilem in actu secundo, extrahebat illius Humanitatem ab eo, quod in ea postulat connaturaliter ejus Unio Hypostatica, nempe ab impassibilitate; sed non debuit sic eam extrahere, nisi posita jam urgentissima necessitate, à qua veluti cogeretur; talis autem necessitas solùm dabatur, posito jam peccato in esse absoluto; ergo post illud sic prævisum prædestinavit Christum sic passibilem & Redemptorem. Confirmatur, quia ita melius explicatur, quomodo remedium peccati, sive Redemptio sit finis Incarnationis; siquidem prout sic prius intenditur illa ut finis, & postea eligitur Christus Redemptor ut medium ad illam consequendam; ergo &c.

563. Oppositum tenent alii Patres asserentes Christum fuisse prædestinatum antequam prævideretur peccatum absolute futurum, consequenterque adhuc Christum Dominum venturum, etiam si Adamus non peccasset. Ita *Alens. 3. p. q. 2. memb. 13. Albert. in 3. dist. 20. a. 4. Scotus in 3. dist. 7. q. 3. §. Sed hic sumt. & dist. 19. quest. unica, §. In illa quest. & dist. 7. quest. 4. §. Tertio declarand. Catharin. Vgner. Rupert. Galatin. & alii apud P. Vasq. & P. Tanner. citati: Pro quibus.*

564. Argues 1. Homines de facto fuerunt electi ad

gloriam ante prævisa merita in esse absoluto; ut diximus; ergo etiam Christus Dominus fuit prædestinatus ut Redemptor ante prævisum peccatum in esse absoluto. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia utrumque fuit ad ostendam Misericordiam Divinam; cum autem hæc magis ostendebatur in electione ad gloriam ante, quam post prævisa merita, quatenus Deus ibi movebatur omnino ex se; & in prædestinatione Christi Domini post, quam ante peccatum absolute prævisum, quatenus sic conferebat beneficium inimicis actualibus, idè elegit ad gloriam ante prævisa merita, & prædestinavit Christum post peccatum absolute prævisum. Accedit, quod in prædestinatione Christi ut passibilis operabatur Deus contra naturam, & postulantiam Unionis Hypostaticæ, idèque debuit expectare actualem necessitatem in peccato jam absolute futuro: at verò in electione ad gloriam operabatur secundum inclinationem suæ Bonitatis, quæ cum sit summa, & diffusiva sui, maxime appetit se communicare, idèque noluit expectare nostra bona opera, ut nos ad gloriam eligeret.

565. Argues 2. Christus Dominus fuit prædestinatus ut caput Angelorum influens in eos gratiam & gloriam; cum enim fuerit prædestinatus caput hominù, quod est minus, cur non etiam Angelorum, quod pluris æstimatur? ergo fuit prædestinatus ante illos; consequenterque ante prævisum peccatum originale in esse absoluto; cum Angeli ante illud sic prævisum fuerint electi. Huic argumento variè varii respondent. Resp. igitur primò cum aliquibus, Christum Dominum fuisse decretum in intentione ante Angelos, & iterum decretum post illos, & post prævisum peccatum in esse absoluto; sicque prævisum in intentione meruisse illis gratiam, & gloriam, imò & sibi executionem, mansisseque eorum caput per influxum ipsius gratiæ, & gloriæ. Non placent, nam admissis etiam illis ordinibus, cum Christus Dominus in illo primo decreto non haberet existentiam in se, siquidem expectaret secundum decretum applicans Omnipotentiam, neque sibi, neque Angelis poterat mereri.

566. Respondeo secundò cum aliis, Deum habuisse duo decreta circa Angelos in instanti, quo tentatus est Adamus; alterum in prioritate naturæ, quo decerneret creare illos in ipso instanti, quo Adamus est tentatus, abstrahendo quidem à gratiâ; alterum in secundo posteriori naturæ, quo decerneret creare illos in gratia tempore aliquo antecedenti, v. g. decem diebus, & cum inter utrumque prævisum fuerit peccatum originale, & Christus Dominus prædestinatus in remedium peccati, potuisse Christum jam prout sic prævisum, & prædestinatum absolute eis mereri hoc secundum decretum, consequenterque creationem in gratia, & manere eorum caput; sic enim, inquit, Christus Dominus fuit decretus in prioritate naturæ pro tempore passionis, & iterum in posterioritate naturæ pro tempore antecedenti in statu pueritiæ.

567. Non placent, licet enim in ordine ad potentiam absolutam non implicet talis modus decernendi Angelos, sine ullo tamen fundamento ponunt duo illa decreta, ut Deus prius naturâ decreverit Angelos producere pro posteriori tempore, quam pro priori, quod cum sit contra naturalem exigentiam productionis creatæ, non debet admitti sine urgentissima causâ, & necessitate, qualis hic non dabatur, nam si aliqua daretur esset, ut intelligeretur, quomodo Christus illis meruerit pri-

nam gratiam; talis autem necessitas non dabatur, imò neque fundamentum ad id asserendum, cum potius major, & melior Theologorum pars iudicet, Christum non meruisse Angelis primam gratiam: at verò in Christo ita decernendo dabatur causa, & necessitas, nempe ut possimus salvare, quo pacto Christus omnia nobis meruerit; & tamen Beatissima Virgo sibi meruerit dignitatem Matris, & Sancti Patres potuerint mereri accelerationem Incarnationis.

568. Hinc colliges, non bene dixisse aliquos, fuisse Adamum prius naturam prævisum à Deo in peccato, quam in gratia, & Christum prædestinatum post prævisum peccatum meruisse Adamo primam gratiam: Non bene, inquam, dixisse, nam Adamus ante originale fuit prævisus caput generis humani habens gratiam, & potens illam traducere, aut amittere pro se & posteris, servando, aut non servando præceptum; alioqui ejus peccatum non esset peccatum capitis, consequenterque; neque originale, sed solum personale, & privatum, quod nullus dicet; ergo non potuit prius naturam prævideri ejus peccatum, neque Christus prædestinari in remedium illius, quam videri dignitas capitis, & gratia Adam; consequenterque non potuit Christus sic prædestinari, ut ei meruerit primam gratiam.

569. Respondeo tertio cum aliis, Deum videntem hunc mundum, & omnes ejus partes, inter quas erat Christus in esse conditionato, prius eliciisse simplicem complacentiam de Christo sic præviso, & ex complacentia fuisse motum ad non impediendam mandati creationem, quam prævidebat per Scientiam conditionatam daturam occasionem peccato, & adventui Christi ad ejus reparationem, & hanc complacentiam, dicunt, ob connexionem cum adventu Christi, & efficaciam circa illum fuisse tanquam voluntatem absolutam de Christo venturo, & propter illam mansisse Christum primum principium omnium creaturarum, consequenterque caput Angelorum influens in eos gratiam. Non placent, quia talis complacentia, aut decrevit absolute Christum, auferens illum ab statu conditionato ad absolutum: aut non: Non primum; alioqui jam non esset simplex complacentia, sed decretum absolutum prædestinans Christum, idque non post, sed ante peccatum prævisum in esse absoluto: Non secundum; alioqui, cum Christus adhuc non haberet esse absolutum, non potuit mereri, neque mundi creationem, neque influere gratiam in Angelos, neque esse principium, & caput omnium rerum. His rejectis responsionibus.

570. Respondeo quarto melius negando antecedens argumenti; nulla enim necessitas nos cogit dicere, Christum Dominum fuisse caput Angelorum quoad collationem primæ gratiæ, sed tantum quoad dignitatem, & honorem, quoad vim mandandi, & illustrandi illos circa rerum arcana, quoad gloriam accidentalem, aliisque dona etiam accidentalia. Ad probationem concedimus, esse caput Angelorum fore magnam dignitatem, inde tamen non sequi, fuisse Christo Domino concessam; nam etiam magna illius dignitas esset, si constitueretur Angelorum Redemptor; & tamen ei non fuit concessa talis dignitas, quia Deus ex sua libertate noluit concedere malis Angelis, sicut hominibus Redemptorem; ergo similiter de dignitate capitis, cum Deus noluerit assumere humanitatem, nisi veluti coactus necessitate reparationis generis humani, sicque post prævisum pec-

catum in esse absoluto; Ita P. Arriaga cit. d. 14. sect. 3. num. 22.

Dixi quoad collationem primæ gratiæ, nam ejus conservationem, augmentum, & perseverantiam finalem, meruit Christus Dominus Angelis bonis jam prævisus in esse absoluto post prævisum peccatum Adami, & ante eorum actualem glorificationem. Unde cum in hac conservatione, & perseverantia finali consistat præcipue iustorum prædestinatio, bene ideò dici potest hanc meruisse Christum ipsius Angelis, licet fuerit decretum post prævisum peccatum Adami, & post collationem primæ gratiæ Angelis factam. Addo, posse etiam dici, fuisse Angelos quidem electos ad gloriam ante Christum absolute prævisum, in effectu tamen consequendam per ejus merita, quæ jam videbantur sub conditione futura, eo modo, quo supra diximus de electione prædestinatorum ad gloriam ante eorum merita absolute, sub conditione tamen prævisa, sed per ipsa merita in effectu consequendam.

Hinc colliges Angelos bonos fuisse electos ad gloriam ante prædestinationem Christi ad esse, consequendam tamen in effectu per merita ipsius Christi jam tunc prævisi in esse conditionato, licet postea per illa jam in esse absoluto prævisa habuerint perseverantiam in gratia, acceptis illustrationibus, illuminationibus, & aliis auxiliis ac ipsius gratiæ augmento. Patet, quia Angeli fuerunt sic electi ante prævisum peccatum Adami; Christus verò prædestinatus ad esse post illud prævisum; cum tamen Angeli non fuerint statim possessores gloriæ; habuerunt enim viam, & hæc duravit etiam post Christum prædestinatum, potuit quidem Christus illa omnia eis mereri; quod ut melius intelligas:

Advertes aliquos sic distinguere signa: Vidit Deus conditionatè in primo signo Angelos malos peccaturos, & bonos perseveraturos, ex malorum peccato tentationem Adami, & ejus peccatum, & ex his omnibus maximam Christi gloriam occasionaliter orituram, in qua ita efficaciter complacuit, ut in secundo signo permisit peccatum malorum Angelorum, & bonos elegerit ad gloriam, decernendo dare illis auxilia efficaciter ad resistendum: in tertio permisit tentationem, & peccatum Adæ: in quarto prædestinaverit Christum: in quinto propter Christum, & ejus merita jam absolute prævisa decreverit dare amplius auxilia efficaciter Angelis bonis, nè violarent alia ejus præcepta, in quibus adhuc tentabantur à malis pro toto spatio, & morula viæ, & præterea fidem Mysterii, ac denique perseverantiam finalem: in sexto tandem decreverit facere eos in re possessores ipsius gloriæ. Unde si sermo sit de adæquata Angelorum prædestinatione, dicendum est fuisse in re partim ante, partim post prædestinationem Christi, ut ex dictis patet. Hæc interim ad intelligentiam præcedentis argumenti; nam de his signis latius infra à nobis dicendum.

Argues 3. Gratia Adami collata in statu innocentie fuit ex meritis Christi; alioqui cum sit effectus prædestinationis Adami, si non esset ex meritis Christi, sequeretur Christum non ei meruisse prædestinationem quoad omnes effectus; sed talis gratia fuit ei collata ante prævisum peccatum in esse absoluto; ergo jam ante illud erant merita Christi; consequenterque ipse Christus prædestinatus. Respondeo negando majorem, si loquamur quoad primam collationem illius gratiæ; sic enim non fuit ex meritis Christi collata, sed tantum quoad

quoad reparationem, & reviviscientiam, quod sufficit, ut dicatur, habere Adamum ex meritis Christi omnes effectus prædestinationis, & omnes gradus gloriæ; siquidem Christus Dominus omnes ei per peccatum amissos reparavit.

575. Inferes: Ergo Adamus fuit prius prædestinatus, quam Christus; siquidem fuit prædestinatus ante peccatum; Christus autem post illud; sed hoc non potest admitti; siquidem ex variis Scripturæ locis constat, Christum fuisse causam exemplarem, & meritoriam omnium prædestinatorum; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus concedendo illationem, si sermo sit de prædestinatione inadæquatâ, seu quoad effectum Justitiæ Originalis; aliter verò si loquamur de illâ adæquatâ sumptâ, seu quoad omnes effectus, nempe quoad effectum etiam vocandi ad penitentiam post peccatum, restituenti gratiam, conferendi perseverantiam finalem, & similes, quos omnes habuit per merita Christi jam prædestinati, & ad quos fuit prædestinatus post prædestinationem ipsius Christi. Ad illa Scripturæ loca, quæ adduci poterunt in contrarium, dicendum, loqui in ordine ad prædestinationem Adami solum inadæquatam, & secundum aliquos effectus: aut etiam de Christo conditionatè futuro, & per supra dictam complacentiam volito, propter quem sic prævisum, & volitum Deus elegit hunc rerum ordinem.

576. Respondeo secundò cum aliis, illam primam electionem Adami ad gloriam fuisse conditionatam, tam erga ipsam Adamum, quam erga posteros, nempe si observaret præceptum; consequenterque fuisse inefficacem; siquidem eam amisit per transgressionem ipsius præcepti; postea autem fuisse electum efficaciter cum aliis prædestinatis post peccatum, & Christum prævisum in esse absoluto, ac ex ipsius meritis; sicque fuisse adæquatè prædestinatum post prædestinationem Christi ex illius meritis, ex quibus etiam accepit gratiam amissam, & gloriam ei correspondentem. Addo, dato quod prima ejus electio fuerit efficax, & solum mortificata per peccatum, adhuc potuisse esse ex meritis Christi eo modo, quo supra diximus de Angelis, & de electione ad gloriam ante, sed per merita consequendam, nempe si dicamus, Adamum fuisse electum ad gloriam in effectu possidendam ex meritis Christi, quæ tunc videbantur conditionatè futura, & postea jam essent in esse absoluto, quando Adamus in re accipiendus esset ipsam gloriam.

577. Argues 4. Adamus in statu innocentie ante peccatum habuit revelationem, & fidem de Mysterio Incarnationis, ut cum D. Aug. D. Thom. D. Bern. D. Epiph. D. Hieron. tenet P. Vasq. de Incarn. d. 12. cap. 1. num. 4. sed hujusmodi fides non poterat sic haberi, nisi Christus jam esset in esse absoluto ante ipsum peccatum; ergo &c. Respondeo negando minorem: talis enim fides, & revelatio licet fuerint prius tempore, quam peccatum, non fuisse prius naturâ, quia peccatum Adami non fuit de facto dependens ab illa revelatione, aut à notitia futuræ Incarnationis: sic etiam gratia data Sanctis Patribus, licet fuerit prius tempore, quam Christus, & ejus merita, non tamen fuit prius naturâ, quia neque Christus, neque ejus merita dependebant ab illa gratia, imò è contra. Quomodo autem hujusmodi revelatio fieri potuit? Dico potuisse sic fieri. In primo signo prædefinitus fuit Adamus in gratia originali: in secundo prævisus peccaturus ex permissione Dei: in tertio occasione peccati prævisus prædefinitus Christus in remedium peccati: in

quarto tandem revelatum est Adamo Mysterium; non tamen revelatâ ejus causâ, nempe peccato; sicque non erat fides de Christo ut Redemptore; sed de Christo venturo, ut notat P. Vasq. cum aliis: quamvis P. Arriaga de Incarn. d. 14. sect. 3. num. 49. videatur sentire, Adamum in ipsa revelatione præcivisse etiam suum peccatum, & neque idè amisisse libertatem; siquidem in eo prior natura ad peccatum, quando illud commisit, nihil de eo illo modo cogitavit.

578. Instabis: Si Adamus haberet fidem de Christo venturo, per illam mereretur novam gratiam; & hanc etiam amitteret per peccatum originale; sed id non poterat esse, nisi ipsa gratia, fides, & Christus essent prius naturâ, quam ipsum originale; ergo &c. Respondeo Deum in primo signo non concepisse hanc novam gratiam amissam cum gratia originali per peccatum; siquidem in tali signo quando primò concepit amissam gratiam originalem, adhuc Adamus non habebat hanc aliam novam, sicut neque fidem, ut patet ex dictis; cum tamen postea, quando commisit originale, jam illam haberet ex meritis Christi jam tunc prævisi, etiam illam amisit; siquidem per ipsum originale factus fuit indignus omni gratiâ. Patet ab exemplo, nam si Deus mihi hodie revelet, Petrum amissurum omnem dignitatem per crimen læsæ Majestatis post annum commissum, & ille habeat unam tantum, videbo illum eam tantum amittentem; si tamen interim eo anno aliam dignitatem acquirat, videbo postea hanc etiam amittere, quia omnem videram amissurum: Unde in primo signo non videbo hanc secundam amissam, quia adhuc non erat, videbo tamen in secundo signo, quia jam erit; sicque similiter in eo eventu de Adamo.

579. Argues 5. Si Christus esset prædestinatus post prævisionem peccati, sequeretur, quod nullus homo natus esset ex illius meritis; siquidem omnes ante prævisum peccatum fuerant prædestinati ad esse; & non sic fuerat Christus prædestinatus ante peccatum; sed hoc est falsum; nam saltem aliquorum existentia est effectus meritorum Christi; ergo &c. Respondeo negando sequelam; licet enim Deus de se motus fuerit ad dandam hominibus existentiam, decrevit tamen eam exequendam in tempore ex oratione (saltem in aliquibus,) ac ex meritis Christi jam tunc prævisi in esse conditionato, quod sufficit, ut dicantur habuisse existentiam ex illius meritis.

580. Argues 6. Incarnatio, seu Christus Dominus fuit causa finalis nostræ Redemptionis, ut constat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum apud P. Vasq. de Incarnat. d. 10. cap. 2. & P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 2. & præsertim ex illo 1. Cor. 3. 23. ibi: Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Et Ephes. 1. 5. ibi: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per JESUM Christum in ipsum: Ubi particula in denotat habitudinem finis; ergo Christus ut finis fuit prius volitus, quam ipsa Redemptio, quæ fuit medium, consequenterque quam peccatum prævisum in esse absoluto.

581. Respondeo negando antecedens; potius enim Redemptio fuit finis Incarnationis; siquidem facta fuit Incarnatio, ut fieret Redemptio, non tamen è contra: Undè Redemptio fuit finis cuius, & homo redemptus finis cui; cum tamen ex hac Redemptione magna resuleret gloria accidentalis in Christo jam præfinito, idè Deus etiam hanc intendit ex ipsa Redemptione, ita ut talis gloria maneat.

manferit finis *cujus*, adventitius tamen, respectu nostræ Redemptionis; nam primarius, & per se intentus fuit tantum gloria Dei; cum autem ille finis fuerit tantum accessorius, supponebat jam Redemptionem volitam ob finem primarium, & peccatum prævisum; ac proinde Incarnatio non fuit ante illud. Et in hoc sensu intelligenda sunt citata (& quæ citari poterant) loca tam Sacræ Scripturæ, quam Sanctorum Patrum.

582. Instabis: Si Redemptio nostra esset finis Incarnationis, sive Christi, prius esset intenta, consequenterque nostra salus in ea contenta; sed hoc non est dicendum; siquidem Christus fuit prius prædestinatus, quam homines, ut patet ex supra dictis, & patebit ex infra dicendis; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus primam illam intentionem Redemptionis, ac salutis nostræ, propter quam fuit prædestinata Incarnatio, sive Christus, non fuisse nostram prædestinationem, cum in efficaciâ fuerit æqualis, & communis erga omnes homines, non tamen omnes fuerint prædestinati: Unde licet illi fuerit efficax ex parte Dei, quatenus Deus posuit remedium de se efficax ad salutem, nempe Incarnationem; fuit tamen conditionata ex parte hominum, nempe si ipsi cooperarentur: postea verò, prævisa jam Incarnatione, Deus ex meritis Christi elegit nos efficaciter etiam ex parte nostra, in qua electione consistit nostra prædestinatio, sicque hæc manfit posterior prædestinatione Christi ad esse.

583. Argues 7. Si Christus esset prædestinatus post prævisum peccatum, sequeretur, si Adamus non peccaret, neque Christum venturum, neque Deum prædestinaturum ullum hominem ex præsentis decreto; siquidem ex vi illius solum sunt prædestinati homines ex meritis Christi Redemptoris, qui tunc non daretur; sequela autem est falsa; ergo &c. Respondeo datâ, & concessâ primâ parte sequelæ, quæ patet ex supra dictis, distinguendo secundam, sequeretur, Deum nullum hominem prædestinaturum formaliter; transeat sequela: virtualiter, nego sequelam: Deus enim de facto habuit decretum, saltem virtuale beandi homines, si in gratia perseverassent; cum autem, si Adamus non peccasset, non solum ipse, sed etiam plures alii homines perseverarent in gratia per auxilia ordinaria, ideo Deus haberet decretum beandi, ac prædestinandi illos.

## SECTIO XXVII.

*Virum, & qualis detur ordo inter prædestinatos?*

584. **D**ico 1. Christus Dominus fuit prædestinatus, & electus ad esse ante prædestinationem hominum ad gloriam, & hanc eis meruit, ut caput hominum. Ita D. Thom. 3. part. q. 24. a. 4. Cajet. Alens. 3. p. q. 3. memb. 5. D. Bonavent. in 3. dist. 11. a. 1. quest. 3. Albert. Viquer. P. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 24. n. 12. & tom. 1. in 3. p. d. 41. sect. 4. P. Vasq. d. 91. & 94. cap. 2. & 4. P. Fons. 3. Met. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 4. & 5. d. 1. memb. 8. P. Tanner. hic d. 3. q. 5. dub. 7. num. 1. & alii. Probatur primò ex Scriptura ad Coloss. 1. 15. ibi: *Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: Et ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Et ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, & præ-*

*destinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Et 1. Cor. 3. 22. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et ad Hebr. 2. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Confirmatur ex Sanctis Patribus, D. Aug. lib. de prædestin. Sanct. cap. 18. D. Chrysost. hom. 1. ad Ephes. 1. Favetque Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. *definens causam finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei, & Christi; ergo &c.*

Probatur secundò, tum quia Christus Dominus, ut infra dicemus, fuit causa nostræ prædestinationis, & omnium illius effectuum: tum etiam, quia quod in unoquoque genere est finis caterorum, est illis prius; sed negari non potest Christum esse causam finalem nostræ prædestinationis; ergo ordine intentionis fuit prius volitus, quam omnes homines prædestinati.

Dices 1. Christus Dominus, ut diximus, fuit prædestinatus post prævisum peccatum Adami in esse absoluto; sed Adamus fuit prædestinatus ad gratiam, & gloriam originalem ante prævisum peccatum in esse absoluto; ergo saltem respectu Adami non fuit Christus prædestinatus prius ut illius caput. Respondeo negando consequentiam; nam licet Adamus fuerit prius electus ad talem gratiam & gloriam, talis electio fuit tantum conditionata, si observaret præceptum; cum tamen illud non observaverit, eas per peccatum amisit, quas Christus iterum per sua merita donavit, quatenus meruit reparationem, ac reviviscentiam, & tunc manfit Adamus jam efficaciter electus, & prædestinatus post Christi prædestinationem.

Dices 2. Membra in eodem signo prædestinantur cum capite; sed Christus fuit prædestinatus ut caput omnium hominum; ergo hi, non posterior, sed in eodem signo fuerunt cum illo prædestinati. Respondeo, ut Christus prædestinaretur prius, & ut caput, satis esse, quod membra, nempe alii prædestinati, prædestinantur simul cum illo, sive in illo virtualiter; & opus non esse, quod sic prædestinantur formaliter in se. Patet, quia ut aliquis eligatur ut magister, necesse non est, quod in eodem signo cum illo eligantur discipuli formaliter, sed sufficit, si eligantur virtute, id est, quod eligatur magister cum respectu ad discipulos postea eligendos ex vi prioris decreti; sicque similiter de electione Christi in ordine ad alios homines eligendos.

Dico 2. Christus Dominus fuit etiam prius prædestinatus ut caput Angelorum, prout supra diximus num. 570. & 573. Ita D. Thom. in cap. 1. tom. Albert. in 3. dist. 13. a. 1. Cajet. 3. part. q. 7. a. 9. & 11. Ruard. a. 2. & 8. Catharin. lib. 1. de prædest. Christi. P. Valent. 3. p. q. 8. punct. 3. Cabrer. P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 41. sect. 1. quos citat & sequitur P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 7. n. 5. & alii. Probatur ex illo ad Coloss. 1. 15. ibi: *Primogenitus omnium creature; quoniam in ipso condita sunt universa in celis, & in terra.* Et ad Ephes. 1. 10. ibi: *Instaurare omnia in Christo, quæ in celis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Et ex D. Bernard. serm. 22. in Cantic. *Qui erexit, ait, hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens: & hac ratione fuit æque utriusque redemptio, solvens illum, & servans istum.* Confirmatur ex supra dictis a n. 565.

Dico 3. Angeli prædestinati prius fuerunt efficaciter electi ad gloriam, quam homines. Ita P. Gratian. 1. p. 11. d. 2. n. 6. & 9. Favet P. Vasq. 3. p. d. 49.

3. p. d. 49. cap. 3. n. 25. Probatur, quia Angeli boni fuerunt electi saltem in eodem signo, quo fuit permiffum, & prævisum peccatum malorum Angelorum; alioqui promptior effet Deus ad deserendum in permissioe peccati, quam ad favendum in electione efficaci ad gloriam; sed permiffio, & prævisio peccati Angelorum malorum fuit prior, quam prædestinatio hominis; siquidem hi fuerunt prælatinati post prævisum peccatum Adæ, ut infra dicemus; hoc autem fuit posterius peccato Angelorum, cum fuerit ex eorum suggestione & persuasione commissum; ergo etiam electio bonorum fuit prior electione hominum.

590. Confirmatur primò, quia inter electionem Angelorum, & electionem hominum fuit medium peccatum Adæ; sed non potuit sic mediare, nisi illæ fuissent factæ in diversis signis; ergo illa facta fuit in primo signo, sicque prius, & hæc in secundo, sicque posterius. Secundò, quia homines fuerunt electi ad reparandas sedes amiffas ab Angelis malis, ut multi colligunt ex illo ad Ephel. 1. 10. ibi: *Instaurare omnia in Christo, quæ in calis, & quæ in terra sunt, in ipso*. Et Psalm. 109. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas*. Et D. Aug. in Enchirid. cap. 29. dicit: *Filos Ecclesia succedere in sedibus Angelorum, ut pace fruantur, quam illi amiserunt*. Et D. Bernard. ferm. 1. de Advent. *Propter hoc enim, ait, & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent*; sed non poterant sic eligi, nisi supponerent jam sedes restaurandas amiffas; consequenterque Angelos bonos electos, cum fuerint in eodem signo electi, ut diximus; ergo &c.

591. Oppositam sententiam tenet, & dicit Theologorum communione P. Soar. de prædest. lib. 1. cap. 12. n. 4. P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 9. num. 5. & alii: Pro quibus: Oppones 1. Nulla datur prioritas in actibus Voluntatis Divinæ, nisi detur aliqua dependentia in eorum objectis; sed nulla datur dependentia inter electiones Angelorum & hominum; aut enim hæc esset causæ finalis, & hoc non; siquidem prædestinatio Angelorum non fuit finis prædestinationis hominum; aut efficientis moralis, & hoc etiam non; siquidem Angeli prædestinati non meruerunt prædestinationem hominum; ergo nulla dabitur prioritas inter ipsas electiones. Respondeo primò negando absolute majorem; sufficit enim, quod decreta sint in diversis signis, & inter unum, & aliud mediet aliud tertium, ut detur fundamentum ad admittendam inter illa posterioritatem, & prioritatem, & ita sit in præfenti, ut patet ex dictis.

592. Respondeo secundò, ibi aliquam intervenire dependentiam, si non inter Angelos, & homines, eorumque electiones, saltem inter alia, quæ ab illis supponuntur; siquidem electio hominum supponit peccatum Adæ, & hoc supponit peccatum malorum Angelorum; hoc autem est simul cum electione bonorum, quod sufficit, ut inter hæc, & electionem hominum detur aliqua prioritas. Addo cum P. Granad. cit. num. 6. valde verisimile esse, aliquos homines prædestinatos esse mediis orationibus Angelorum, quod stare non potest, quin sint aliquo modo causæ prædestinationis eorum, ac proinde quin istorum, sicut & aliorum Angelorum prædestinatio (non enim datur major ratio de his, quam de aliis, cum omnes simul fuerint electi) sit prior quam electio hominum.

593. Oppones 2. Deus intendit regnum electorum per modum unius corporis, & Civitatis cælestis; ergo etiam simul intendit omnia ejus membra;

Tom. 1.

siquidem ex eorum varietate, ac multitudine totius corporis pulchritudo insurgit. Respondeo negando consequentiam; nam & ipsi Adversarii concedunt, Christum Dominum esse caput hujus Regni, & Civitatis; & tamen non asserunt fuisse simul electum cum aliis membris; undè bene potest aliquid ædificium intendi per modum unius, quin simul eligantur ejus partes, cum possint aliquando aliæ propter alias eligi, sicque aliæ aliis priores.

594. Oppones 3. Angeli, & homines in eodem signo fuerunt electi efficaciter ad esse, & ineffaciter ad salutem; ergo etiam eodem signo fuerunt postea electi efficaciter ad salutem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia nullum datur fundamentum ad admittendam prioritatem in ea prima electione; alioqui assignetur: at verò datur ad illam admittendam in hac secunda, ut patet ex dictis. Accedit, quod Angeli fuerunt prius possessores, quam homines, ex quo colligitur fuisse etiam prius electos. Deindè, cum non peccaverint, semper conservarunt primam electionem: at verò homines eam amiserunt per peccatum, idèdque fuerunt postea efficaciter electi, sicque post electionem Angelorum.

595. Oppones 4. Homines, cum de se sint æquæ capaces beatitudinis, atque sunt Angeli, non fuerunt electi propter illos; ergo in eodem signo cum illis. Respondeo negando consequentiam; nam licet non sint electi propter illos, cum tamen eorum electio supponat peccatum Adæ prævisum, ut infra dicemus; & hoc supponat Angelorum peccatum, concomitanterque connotet bonorum electionem, factam saltem in eodem signo commisionis ipsius peccati, idèd est illa posterior. Et confirmatur, quia eadem videtur esse ratio in damnatione, atque in electione; sed Angeli mali fuerunt priores in damnatione, quam homines mali; ergo etiam boni Angeli fuerunt priores in electione, quam boni homines.

596. Instabis: Idèd Angeli essent prius electi, quam homines, quia hi sunt electi post peccatum Adæ prævisum, & cum hoc debeat supponere peccatum Angelorum, consequenterque eorum electionem, prout supra diximus, etiam eorum electio debet Angelorum electionem supponere; sed homines non fuerunt electi post prævisum peccatum in esse absoluto; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut jam diximus.

597. Dico 4. Homines fuerunt electi post prævisum peccatum Adæ in esse absoluto. Ita communiter Recentiores, & tenet ut probabile quoad posteros Adami in individuo P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 8. num. 11. tenent etiam D. Aug. in epist. 105. 106. 107. & 157. & lib. 15. de Civit. cap. 1. & lib. 21. cap. 12. & lib. de prædest. & grat. cap. 3. & 6. & 16. & lib. de prædest. Sanct. cap. 9. & 14. D. Prosper. D. Anselm. & D. Fulgent. D. Thom. 1. part. q. 23. a. 1. ad 3. & a. 5. ad 3. & in 3. dist. 10. q. 3. & quodl. 5. q. 5. a. 8. Capreol. in 2. dist. 20. q. unica, a. 3. & Greg. in 1. dist. 41. a. 2. Soto ad Rom. 9. Zumel q. 23. a. 1. q. 2. quos citat & sequitur P. Ruiz de prædest. d. 13. sect. 5. a. n. 8. & d. 59. sect. 2. n. 2. Probatur primò ex illo Psalm. 109. ibi: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas*. Et ad Ephel. 1. *Instaurare omnia in Christo, &c.* ubi implere ruinas, & instaurare supponunt lapsum, sive peccatum. Et D. Aug. lib. 1. de prædest. & grat. cap. 16. *Injustitia, ait, non posse argui creditorem, qui duobus debitoribus tale voluerit habere judicium, ut uni donet, ab alio exigat, quod ab utroque debetur*. Ubi supponit electionem factam post debitum peccati; ergo &c.

I i

Probat

598. Probatum secundò rationibus: Prima, quia Christus Dominus, ut diximus, fuit prædestinatus post prævisum peccatum, ita ut si illud non daretur, neque ipse veniret, saltem ex vi præsentis decreti; sed homines fuerunt electi post Christum absolute prævisum; siquidem fuerunt electi ex ejus meritis; ergo etiam fuerunt electi post prævisum peccatum in esse absoluto.
599. Secunda, quia si homines fuissent electi ante prævisum peccatum, sequeretur, quod, eo non commisso, tor salventur, quot modò salvantur; imò quod non alii, quàm ipsi, & cum iis gradibus gloriæ, quos modò habent; siquidem electio, ut diximus, & ipsi Adversarii fateantur, fuit determinata, tam quoad personas, quàm quoad gradus gloriæ sequela autem est falsa; nam plures gradus, qui modò habentur, dependent à Sacramento, & à Passione Christi, quæ tunc non darentur: Deindè si iidem, qui modò salvantur, tunc salventur, etiam iidem, qui modò damnantur, tunc damnarentur; siquidem cum electi omnes essent prædestinati ad esse in eo signo electionis, ipsa bonorum electio esset malorum reprobatio negativa; sed hæc repugnant Sanctis Patribus asserentibus in statu innocentia, aut nullum, aut saltem pauciores esse damnandos ob majores vires spirituales, quas homines in eo statu haberent, & ob naturæ integritatem, qua modò destituuntur in statu naturæ lapsæ; ergo &c.
600. Tertia, quia multorum prædestinatio consequitur suum finem per media supponentia peccatum originale, ut patet in parvulis, qui per Baptismum, & in adultis, qui per martyrium salvantur, & in iis, qui Martyrum constantiâ excitantur, ut credant, & resipiscant; ergo eorum prædestinatio fuit post prævisum peccatum originale; ergo idem dicendum de prædestinatione aliorum electorum, cum omnes fuerint electi in eodem signo, ut infra dicemus.
601. Oppositum tenent *Scot. in 1. dist. 41. q. unica & in 3. dist. 7. q. 3. & dist. 19. q. unica. Marfil. in 2. dist. 13. art. 1. dub. 4. Gabr. in 2. dist. 20. quest. unica art. 1. Agid. Hervæus, Eckius, P. Mol. 1. p. q. 23. art. 5. d. 1. memb. 7. P. Soar. de prædest. lib. 1. cap. 12. num. 8. & 11. pro quibus: Argues 1. Electio hominum in nullo dependet à permissione, neque à prævisione peccati Adami; siquidem facta non fuit ratione, aut occasione peccati; ergo illud non supponit. Respondeo primò negando antecedens; nam cum Incarnatio de facto fuerit occasione peccati, quatenus prævisio peccati fuit ejus causa motiva, & hominum electio fuit dependens ex meritis Christi prævisi, ut à causa meritoria, saltem remotè ipsa electio fuit etiam dependens à peccato; consequenterque sicut Incarnatio, ita & ipsa electio illud supponit. Respondeo secundò, quidquid sit de dependentia, falsò supponi, prioritatem inter actus divinos desumi tantum ab illa, ut jam diximus. Patet, quia licet inter voluntatem inefficacem salvandi omnes, & efficacem salvandi electos, nulla detur dependentia, adhuc tamen inter illas datur prioritas, & posterioritas, ut supra diximus; ergo similiter dicendum de electione, & prævisione peccati ob rationes supra factas.*
602. Argues 2. Angeli boni fuerunt electi ante prævisum peccatum malorum; ergo etiam homines prædestinati electi fuerunt ante prævisum peccatum Adami. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Angeli prædestinati cum nullum contraxerint peccatum, non erat cur ex-

pectaret Deus malorum peccatum, ut eos eligeret: at verò homines, etiam prædestinati, cum contraxerint peccatum originale, debuit Deus expectare ejus prævisionem absolutam, ut eos eligeret, sic enim eis majus beneficium conferebat, & majorem Misericordiam erga eos ostendebat, quatenus indignos eligebat. Et hoc significaverunt *D. Aug. lib. 2. contra duas epistol. Pelag. cap. 7. & lib. de Prædest. & grat. cap. 3. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in Enchirid. cap. 49. & D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. dicentes homines prædestinatos à massa corruptionis fuisse liberatos.*

Dices cum *P. Soar. cit. num. 11. D. Aug. & D. Thom. locis citatis intelligendi sunt, non de electione post prævisum peccatum, sed per anticipationem ad peccatum, quatenus illi electi sunt, qui futuri erant in massa perditionis, & ab illa postea liberandi; ergo &c. Respondeo negando antecedens, talis enim explicatio violenta est, & contra mentem *D. Thom. qui agebat de specificatione electionis juxta diversitatem termini à quo, consequenterque de ipso termino à quo, qui jam erat, nempe de peccato, & non de termino à quo, qui futurus erat.**

Argues 3. Homines fuerunt electi in eodem signo, non cum Adamo; sed Adamus fuit electus ante prævisum originale; siquidem ante illud fuit ei collata gratia originalis, hæc autem erat effectus prædestinationis; ergo etiam alii homines ante illud fuerunt electi. Respondeo primò negando minorem; nam illa prima electio, ut jam diximus, fuit tantum conditionata, si homo non peccaret, consequenterque inefficax in ordine ad gloriam, quia peccavit: nos autem loquimur de electione efficaci, in qua consistit prædestinatio, & hæc tam in Adamo, quàm in aliis hominibus facta fuit post prævisum originale. Respondeo secundò, admittà minori, si loquamur de electione Adami inadæquatè, negando consequentiam; licet enim sic fuerit electus inadæquatè ante prævisionem peccati; adæquatè autem fuit cum aliis simul hominibus electus post prævisum peccatum, ut infra dicemus, nos verò loquimur de electione adæquatè.

Argues 4. Divinæ congruebat Bonitati prius nos eligere ad bonum, quam permittere malum; ergo sic de facto nos elegit ante permissionem, & prævisionem peccati. Respondeo concedendo totum; Deus enim de facto prius nos elegit in Adamo ut in capite ad gratiam originalem, quam permiserit peccatum: & prius nobis intendit gloriam per voluntatem illam generalem salvandi omnes, quam permiserit nostrum malum, sive peccatum; nulla tamen ex illis electionibus fuit efficacax, cum Deus non teneretur sic nos eligere efficaciter; elegit autem quando voluit, & sic voluit eligere post peccatum ad ostendendam magis suam Misericordiam, & Bonitatem, quatenus prout sic conferebat inimicis beneficium electionis.

Argues 5. Deus bene poterat prævidendo peccatum solum in esse conditionato, hos tantum eligere, quos modò elegit, & tunc iidem, qui modò salventur, sive postea esset, sive non esset peccatum; sic enim de facto nos elegit ad certos gradus gloriæ prævisi meritis solum in esse conditionato; ergo ratio supra facta nulla est. Respondeo negando consequentiam; licet enim Deus absolute loquendo sic potuisset eligere, cum tamen ante hanc efficacem electionem ad gloriam decrevisset in illa prima voluntate generali omnes hos homines, qui de facto futuri sunt, si soli prædesti-

nati saluarentur, etiam omnes alii damnarentur, quamvis non esset peccatum originale, quod, manente statu innocentiae, esset maxima indecentia, & maximum inconueniens respectu talis status, in quo haberetur donum integritatis, & non adeo urgerent tentationes. Accedit, quod gradus gloriae non possent tunc esse iidem, qui modo sunt; siquidem modò plures correspondeat operibus ex opere operato ratione Sacramentorum, & meritorum Christi, quæ tunc non essent, sed solum haberentur illi gradus gloriae, qui tunc corresponde- rent operibus operantis.

607. Argues 6. Christus Dominus, & Beatissima Virgo fuerunt prædestinati ante præuisum peccatum originale; siquidem non poterat prævideri, ubi non erat futurum; sed reliqui homines fuerunt simul cum Christo, & Beatissima Virgine prædestinati; ergo &c. Respondeo negando maiorem: neque enim Christus Dominus fuit prædestinatus, sicut neque Beatissima Virgo, nisi post præuisum peccatum in esse absoluto, ut patet ex supra dictis, & patet ex dicendis; ita tamen ut non fuerint prædestinati post originale, quod illis inhereret, sed quod suis inhereret progenitoribus.

SECTIO XXVIII.

*Virum omnes homines, & etiam Beatissima Virgo, fuerint simul electi in eodem signo?*

608. VERTES huiusmodi quaestionem posse in triplici sensu excitari, & resolvi: Primò comparando Adamum cum illius posteris: Secundò comparando posteros inter se, exceptâ Beatissimâ Virgine: Tertio comparando eosdem posteros cum Virgine Sanctissimâ. Hoc posito.

609. Dico 1. Adamus non prius, sed simul cum aliis hominibus fuit efficaciter electus ad gloriam. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 12. n. 4. P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 9. n. 2. P. Ruiz de prædest. d. 59. sect. 2. n. 3. & alii. Probatur, quia in actibus divinis nulla est admittenda prioritas, & posterioritas, nisi detur aliquod fundamentum, aut ad illos constituendos in diversis signis; aut ad considerandam aliquam dependentiam, vel congruentiam ex parte objecti; sed hic nullum datur fundamentum, neque ad constituendam electionem Adami, & aliorum hominum in diversis signis; neque ad considerandam aliquam dependentiam, aut congruentiam inter gloriam Adami, & gloriam aliorum hominum; siquidem neque fuerunt intentæ in diversis signis; neque gloria Adami fuit causa, aut ratio, aut occasio dandi gloriam aliis hominibus; ergo &c.

610. Argues: Caput semper consideratur ante membra; sic enim Christus Dominus, quia erat caput morale aliorum prædestinatorum per influxum gratiæ, & gloriae, ante illos fuit prædestinatus, ut diximus; sed Adamus prædestinatus fuit etiam caput morale aliorum hominum in ordine ad transfundendam gratiam, & gloriam, si observaret præceptum; ergo ante illos fuit electus. Respondeo primò ad minorem, Adamum fuisse constitutum caput hominum, sed solum quoad gratiam propriam status innocentiae, quæ cum non fuerit efficacax in ordine ad gloriam in re consequendam, ided eam amisit, consequenterque ipsam rationem

capitis, cuius loco constitutus est Christus secundus Adamus de cælo cælestis, qui solus de facto est caput morale omnium hominum quoad supernaturalia, ipso primo Adamo manente capite solum quoad naturalia, & privationem gratiæ, ex quo omnes nascimur filii iræ; sicque non est cur ipse Adamus sit prius electus ob ipsam rationem, sed satis est, quod fuerit simul electus cum aliis ut membrum cum illis ejusdem capitis Christi.

611. Respondeo secundò, negando maiorem; falsò enim supponitur solam rationem capitis præcisè sumptam sufficere ad inducendam prioritatem, imò potius inducere similitatem cum membris, ut eam illis constituat integrum corpus. Undè ad probationem dicimus, Christum Dominum fuisse quidem prius electum, non tamen ex eo præcisè, quod fuerit caput morale hominum, sed quia illis meruit electionem; causa autem meritoria semper est prior, utpotè efficiens, & influens moraliter.

612. Dico 2. Omnes alii homines fuerunt etiam in eodem signo sine ulla prioritate electi. Ita P. Soar. & P. Tanner. cit. Probatur primò, quia etiam inter illos nullum datur fundamentum, ut dicamus eos electos fuisse in diversis signis; neque ulla dependentia, aut congruentia, quæ possit considerari ex parte objecti; sed ex hac ratione diximus, Adamum, non prius, sed simul cum aliis fuisse electum; ergo &c.

613. Probatur secundò, quia si daretur prioritas inter electiones aliquorum ad gloriam, etiam daretur inter electionem unius, & electionem alterius; sed hoc non est dicendum; siquidem ad id necesse erat, ut gloria unius haberet se per modum finis respectu alterius, cum ordo intentionis sit secundum rationem finis, & mediorum; unus autem electus, aut ejus gloria non est finis gloriae alterius, cum omnes sint ejusdem ordinis, & immediate subordinati ad Christum, & Deum juxta illud 1. Cor. 3. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei;* ergo &c.

614. Probatur tertio, quia Deus intendit prædestinationem electorum per modum unius corporis, regni, & civitatis juxta illud ad Rom. 12. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Et Apoc. 21. 2. *Vidi sanctam Civitatem Jerusalem;* idque sub uno capite, & Rege Christo; ergo similiter intendit omnia membra, ex quibus ipsum corpus constat, & qui ut cives per se ad idem regnum, & civitatem pertinent.

615. Dices: Aliqui iusti fuerunt causa, ut alii saluarentur, & nascerentur; sic enim oratio D. Stephani fuit causa ut D. Paulus converteretur, & saluaretur, adeò ut D. Aug. dicat, non salvandum Apostolum, nisi Stephanus pro illo orasset: sic etiam intercessio D. Nicolai Episcopi fuit causa ut nasceretur, & saluaretur D. Nicolaus Tolentinus; sicque de aliis; sed omnis causa est prior suo effectu; ergo illi fuerunt prius electi. Respondeo negando consequentiam; solum enim probat argumentum, dari aliquam prioritatem inter actus divinos versantes circa media ad salutem in ordine ad ejus executionem: non ita verò inter actus versantes circa finem, nempe gloriam, quam Deus omnibus simul intendit; neque enim gloria D. Pauli fuit dependens ab oratione D. Stephani, sed Deus eum absolute elegit ad illam, licet in executione assequendam media illa oratione; sicque de aliis.

616. Dico 3. Virgo Sanctissima electa fuit ad gloriam in eodem signo cum aliis prædestinatis. Ita *P. Soar. P. Tanner. P. Ruiz. cit.* quatenus dicunt, omnium electionem (uno excepto Christo Domino) fuisse in eodem signo. Probatur, quia gloria aliorum prædestinatorum nullam habet dependentiam causæ, neque finalis, neque meritoria, neque exemplaris à gloria Virginis Sanctissimæ; siquidem nostra gloria, neque est propter gloriam Virginis tanquam propter finem; neque ex illa, tanquam ex causa meritoria; neque ad instar illius tanquam ad exemplar; sed ubi nulla datur dependentia, aut congruentia ex parte objecti, nulla datur prioritas, & posterioritas in actibus divinis; ergo neque sic dabitur in electione Virginis Sanctissimæ comparatâ cum electione aliorum hominum.
617. Oppositum tenet *P. Salazar de Concept. Virginiis*, & aliqui Recentiores: pro quibus: Argues 1. Ecclesia accommodat Virgini Sanctissimæ illud Prov. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et illud Ecclesiast. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Et infra 9. *In omni populo, & in omni gente primatum tenui.* Et infra 14. *Ab initio, & ante secula creata sum;* sed hæc, & similia testimonia non procedunt de productione Virginis in tempore, ut per se notum est; ergo de ejus electione, quæ cum fuerit aliarum electionum initium, non potuit non esse prius. Confirmatur autoritate Patrum, nam *D. Bernardin. Senens. serm. 15. de Beata Virgine: Tu, inquit, ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti.* Et idem significant *D. Anselm. Rupert. & alii.*
618. Respondeo illa verba in solo sensu allegorico accommodari Virgini Sanctissimæ, sicque lumen da non esse pro omnimoda prioritate, sed tantum quod fuerit ab æterno electa; utrum verò fuerit in hoc, aut in illo signo, non resolvunt Patres, sed relinquunt Theologis resolvendum juxta majorem congruentiam. Illi autem Patres explicari debent (sicut etiam explicari possunt citata Scripturæ loca, aliisque similia,) de antecedentia Virginis secundum dignitatem, & excellentiam, ut supra dictum est respectu Christi Domini juxta modum loquendi Scripturæ, quæ *Joan. 1. 30. de Christo: Qui, ait, ante me factus est, quia prior me erat;* & tamen Christus fuit conceptus, & natus post Joannem, qui hæc de illo dicebat. Addo, dici etiam posse Sanctos Patres locutos fuisse de antecedentia Virginis respectu actualium productionum aliarum creaturarum, quasi dicerent, electionem Virginis non fuisse de novo, & in tempore factam post existentiam aliarum creaturarum, sed ab æterno, & ante omnium illarum existentiam.
619. Argues 2. Virgo Sanctissima simul cum Christo meruit electionem omnium prædestinatorum, illa de congruo, Christus autem de condigno; sic enim constat ex *Arnold. Carnot.* quatenus dicit, Virginem juxta Crucem Redemptionis nostræ consummare *Mysterium*: & ex *Guillelm. Cant.* aliisque Patribus apud *P. Salazar. cit.* asserentibus Virginem simul commoriente Christo martyrem fuisse, & simul cum illo redemisse mundum, quatenus cum illo pro hominibus mortuo simul mortua quodâ modo fuit; sed omnis causa est prior suo effecta, & ad illam præsupponitur; ergo etiam electio Virginis fuit præsupposita ad electionem aliorum electorum; neque enim eis meruit electionem, nisi per merita

supernaturalia, & hæc supponebant jam electionem ipsius Virginis ad gloriam in intentione.

Respondeo negando majorem; non enim constat de tali merito Virginis, neque ab Scripturis, neque à Conciliis. Ad probationem dicimus, eos Patres (sicut & alios, si qui sunt alii) locutos fuisse in sensu minus proprio, quatenus scilicet, nobis dedit Filium Redemptorem nobis electionem illam merentem; non autem quod nobis in rigore meruerit illam per sua merita, aut nos redemerit; alioqui cum ipsa sit etiam electa, & redempta, etiam ex propriis meritis esset electa, & se ipsam redimeret, quod illi non admittunt. Accedit, quod etiam contra ipsos Patres sint alii, qui clare dicunt, Virginem Sanctissimam fuisse eodem actu simul electam cum aliis hominibus, ut patet ex supra dictis.

Argues 3. Medium fini propinquius debet semper prius eligi; sed Virgo fuit medium propinquius ad Christi gloriam consequendam, ut finem proximum, ut potè ejus Mater; & ad Dei gloriam, ut finem remotum ob singulares excellentias à Deo acceptas, & incomparabilem excessum supra omnes alias creaturas; ergo debuit prius eligi. Respondeo distinguendo majorem: debet semper prius eligi, si sit medium propinquius in ratione causalitatis finalis, aut alicujus subordinationis; concedo majorem: in ratione solius excellentiæ, & naturæ; nego majorem: Virgo autem, licet sit propinquior gloriæ Dei, & Christi Filii ratione excellentiæ, & naturæ; non ita est in ratione alicujus causalitatis, quam exerceat circa gloriam aliorum hominum; neque enim est causa meritoria illius quoad primam electionem, neque ejus finis, neque ipsa hominum gloria ipsius Virginis gloriæ in aliqua ratione subordinatur, sicque non est cur in illa admittamus eam prioritatem.

Inflabis: Virgo Sanctissima dicitur causa impetratoria nostræ salutis; multi enim illius precibus, & intercessionibus salvantur, & speramus salvari; ergo sub hac ratione electio nostra illius electioni subordinatur; consequenterque fuit prius electa. Respondeo Virginem Sanctissimam dici quidem causam impetratoriam nostræ salutis, in ordine tamen executionis, sive salutis in re consequendæ; non verò in ordine intentionis, ac primæ electionis, sive gloriæ primò intentæ. Undè si ex nostra salute maxima in ipsa Virgine resultat gloria, quatenus ipsius intercessionibus salvamur, idè est, quia ipsa fuit præcipuum medium à Deo electum, & præparatum, ut per ipsam Virginem gloriam in executione assequamur, & non quia aliquo modo fuerit causa nostræ primæ electionis ad gloriam.

Argues 4. Ex *P. Soar.* & communi Theologorum constat mensuram privilegiorum Virginis esse Divinam Omnipotentiam juxta illud *Luc. 1. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est;* sed quod sit prius electa non est privilegium excedens Omnipotentiam Divinam; cum jam fuerit concessum Christo Domino: imò videtur concessum ipsi Virgini, de qua dicit Ecclesiæ illud: *Elegit eam Deus, & præelegit eam;* ergo &c. Respondeo majorem esse veram de privilegiis, quæ fundantur in aliquo, quod quasi debitum convenit Virgini; non ita tamen de aliis, quæ sic non fundantur; siquidem non omne privilegium possibile ei conceditur: cum autem illa prioritas non fundetur in aliquo, quod Virgini debeatur, sed in dependentia, aut subordinatione unius electionis ab alia, & hæc non detur in electione, sive gloria aliorum prædestinatorum respectu electionis, sive gloriæ Virginis; idè est

ided in ea non debet admitti illa prioritas electionis, licet admitatur in Christo, quatenus nobis meruit ipsam electionem, & erga illum datur ea dependentia. Accedit, quod illa prioritas non est tantæ excellentiæ, ut necessariò debeat admitti in Virgine, cum etiam in Christo non admittatur respectu Angelorum, prout supra diximus; & si in eo admittitur respectu hominum, non idè est, quia magnam continet excellentiam, sed quia ibi datur supra dicta dependentia. Ad illud, quod de Beatissimâ Virgine canit Ecclesia dicimus, intelligendum esse de præelectione ad singulares excellentias, ad quas Deus præ aliis elegit Virginem Sanctissimam.

614. Argues 5. Homines fuerit electi ex meritis Christi absolute futuris, & in particulari clarè, ac distinctè prævisis, sed talia merita ut sic supponunt existentiam Christi, & hæc existentiam Virginis, quæ est ejus Mater; ergo etiam electio hominû supponit electionem Virginis, cum Virgo non fuerit electa ad esse sine electione ad gloriam. Respondeo primò argumentum, si valet, etiam probare, Virginem non fuisse electam ex meritis Christi; siquidem hæc supponunt existentiam Christi, & existentia Christi supponit existentiam, consequenterque electionem Virginis; sed hoc non probat, ut ipsi Adversarii non admittunt; ergo neque illud, quod intendit.

615. Respondeo secundò, homines fuisse electos ex meritis Christi prævisis quoad substantiam, non tamen quoad omnes circumstantias in particulari, per quas postea in effectu consecuti sunt gloriam; merita autem Christi quoad substantiam supponunt etiam existentiam Christi quoad substantiam tantum, & non quoad omnes ejus circumstantias in particulari, quarum una est existentia Virginis ut Matris.

616. Instabis: Christus Dominus fuit prædestinatus ad esse, ut Filius Virginis, & ut talis nobis meruit electionem ad gloriam; sed non potuit intelligi Filius Virginis, quin simul intelligeretur existens Virgo Mater; siquidem relatio Filii, & Matris sunt simul naturâ, & supponunt extrema existentia; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam Christus fuit primò prædestinatus ad esse ut hic homo tantum, & nos fuimus electi etiam primò ex meritis ipsius Christi, ut erat hic homo, qui prout sic non supponit Virginem Matrem, sed solum supponitur productus per primam actionem independentem à Matre, licet postea sit decretus, & intelligatur productus per aliam actionem dependentem à Matre, ut ejus Filius, prout alibi diximus, & suo loco dicemus.

617. Argues 6. Virgo Sanctissima prius fuit electa ad gloriam, quàm ad Maternitatem; sed prius fuit electa ad Maternitatem, quàm alii ad gloriam; ergo à fortiori prius fuit electa ad gloriam, quàm alii ad gloriam fuerint prædestinati. Respondeo negando minorem; nam si alii fuissent ad gloriam electi post electionem Virginis ad Maternitatem, essent etiam ad illam electi ex meritis Christi ut Filii Virginis, contra id, quod modò diximus. Unde post electionem Christi Domini ad gloriam ut caput, omnes alii fuerunt simul cum Virgine Sanctissima electi ex meritis ipsius Christi ad gloriam in effectu consequendam per propria merita, quæ cum in Virgine Sanctissima jam essent merita Matris, idè illam ad longè excellentiorem gloriam supponerent electam, & post talem electionem simul cum aliorum electione factam, statim fuit Virgo Sanctissima electa ad dignitatem Matris

habendam etiam per sua merita jam tunc conditionate prævisa, ut patet ex illo Ecclesiæ: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, &c.* sicque Virgo Sanctissima non fuit prius aliis electa ad gloriam.

Instabis: Finis semper intenditur prius, & postea eliguntur media; sed finis omnium perfectionum, & gratiarum Virginis fuit Maternitas; siquidè propter illam sunt ei collatæ omnes aliæ excellentiæ, & illa ad hunc gratiæ, & gloriæ cumulum eversa est, non ut femina tantum, sed jam ut Mater; ergo prius electa fuit ad Maternitatem. Respondeo ad minorem, Maternitatem esse tantum finem medium, finis enim ultimus fuit gloria, ad quam fuit electa. Undè argumentum solum probat, fuisse prius electam ad dignitatem Matris, quàm ad gratiam, & alia dona, quæ sunt media ad illam assequendam; non tamen fuisse prius electam ad ipsam Maternitatem, quàm ad gloriam; hæc enim, cum sit finis ultimus, prius fuit intenta; neque Virgo ad illam fuit electa propter Maternitatem, sed propter gloriam Dei.

## SECTIO XXIX.

*Virum Deus preparaverit media necessaria ad salutem infallibiliter consequendam?*



619. DVERTES media ad salutem consequendam alia esse communia, & alia particularia: Communia sunt, quæ toti communitati præparantur, ut sunt respectu Angelorum omnes gratiæ, & auxilia eis data; & respectu hominum sunt Baptismus, & alia Sacramenta, prædicatio Evangelii cum præparatione auxilii interni necessarii ad fidem obtinendam; inter quæ numerari potest gratia originalis data toti communitati in primo parente ante lapsum. Particularia sunt, quæ cuilibet in particulari, & non omnibus æqualiter præparantur, & hæc sunt in duplici genere: Primi generis sunt, quæ fiunt à solo Deo sine cooperatione liberi arbitrii; qualia sunt prima vocatio, sanctificatio in utero matris, auxilia prævenientia, quæ Deus hominibus confert absque ullo eorum merito, ac dispositione, & similia, ad quod genus pertinet etiam effectus quidam singularis Providentiæ Dei, quam Deus singulariter exercet circa electos, ut auferre occasiones peccandi, & offerre occasiones mendi. Secundi generis sunt, quæ fiunt à Deo, dependentem tamen à libera cooperatione voluntatis, qualia sunt omnes actus humani supernaturales, ad quos spectant omnes effectus, qui ab illis dependent, ut est remissio peccati in adulto, &c. Deindè inter hæc sunt alia, quæ non supponunt peccatum necessariò, ut sunt actus Fidei, Spei, Charitatis, &c. & alia, quæ illud necessariò supponunt, aut proprium, ut poenitentia, aut alienum, ut martyrium. Hoc posito.

620. Difficultas 1. Utrum omnia hæc media sint electis præparata? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. à n. 1. & alii. Probatur, quia Angelis, & hominibus electis fuerunt hujusmodi media præparata; siquidem Angeli secundum probabilem sententiam per gratias, & auxilia eis in instanti suæ creationis data, ita fuerunt præventi, ut pro eo non peccarent, imò ita fuerunt excitati, ut infallibiliter converterentur ad Deum, disponendo se

ad gratiam sanctificantem, & merendo primam gloriam; quod autē hominibus sint preparata alia media docet fides, & ex dicendis constabit; ergo &c. Quomodo autem Deus potuerit preparare ex se saltem illa media, quæ pendunt à libero arbitrio sine ejus laesione? Infrà dicemus.

631. Difficultas 2. Utrum inter electiones mediorum detur aliquis ordo prioritatis? Affirmativè. Ita D. Aug. lib. de bono persever. cap. 14. & cum eo P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 7. Probatur primò, quia idè inter intentionem finis, & electionem mediorum datur ordo prioritatis, & posterioritatis, quia datur dependentia mediorum à fine in ordine ad tales actus voluntatis; sed hæc dependentia datur etiam inter unum, & alterum medium; siquidem actus liber meritorius dependet à prima vocatione; justificatio ab actu libero meritorio; perseverantia in gratia à justificatione; consecutio gloriæ ab ipsa perseverantia, quod significavit D. Aug. loco citato, quatenus dixit, Deum velle talem vocationem dare, quia vult dare fidem; ergo &c.

632. Probatur secundò, quia ut media inserviunt ad finem, ita intenduntur; sed inserviunt ad finem per prius, & posterius, cum alia sint fini propinquiora, & alia remotiora; nam gloriæ propinquior est gratia finalis, deindè justificatio, postea actus liber meritorius, & tandem vocatio; ideoque in ordine executionis incipit à prima vocatione usque ad gloriã ut finem; ergo eodem ordine, quo sunt propinquiora, intenduntur, sicque per prius, & posterius. Confirmatur primò ex illo ad Rom. 8. 30. ubi: Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit: ubi prædicta media significavit per prius, & posterius in ordine ad finem. Secundò in Angelis bonis, nam quia à Deo sunt electi ad tantam gloriam, idè ab eo ordinati sunt, ut in tota via tantam haberent gratiam, & ut hanc haberent, elicerent tales, ac tales actus meritorios, & ut hos elicerent, acciperent talem, ac talem modum illuminationis, ac inspirationis; ergo inter ipsa media fuit ordo prioritatis.

633. Objicies 1. Media illa ita sunt inter se connexa, ut mutua habeant dependentiam; sed ubi hæc datur, unico & eodem actu res amantur; ergo sic amantur illa media; consequenterque nullus datur ordo prioritatis, & posterioritatis inter decreta divina. Respondeo 1. negando majorem; licet enim in ordine intentionis medium remotius pendat à propinquiore, non idè hoc pendet ab illo in eodem ordine, v. g. si prima vocatio idè fuit electa, quia fuit intenta justificatio; non tamen è contra idè fuit intenta justificatio, quia fuit electa prima vocatio: undè si postea in ordine executionis justificatio jam pendet à prima vocatione, parùm refert, quia est in diverso genere. Adde neque in ordine executionis ipsam justificationem pendere per se ab hac numero prima vocatione, sed per accidens; siquidem eadem poterat haberi ab hac, aut ab illa primà vocatione.

634. Respondeo secundò, data majori, negando minorem; neque enim mutua connexio, aut dependentia duorum objectorum officit multitudinè, & prioritati actuum voluntatis; nam licet tunc volitio formalis unius sit volitio virtualis alterius, & indirecta, hoc non tollit, quominus dari possit alia ejus volitio formalis, & directa diversa, & posterior. Patet in intentione finis, & formali electione medii unici, in quibus datur illa diversitas, & prioritas; cum tamen detur similis con-

nexio, & dependentia, & illa formalis intentio finis sit etiam volitio virtualis, & indirecta talis medii.

Objicies 2. Deus prius nobis elegit gratias congruas, quàm actus liberos ab illis dependentes; alioqui offenderetur libertas; sed actus liberi propius accedunt ad gloriam; siquidem sunt dispositiones ad gratiam, & meritorii ipsius gloriæ; ergo jam non prius eligitur medium propinquius fini, quàm remotius. Respondeo primò negando majorem, ad cuius probationem dicimus minime offendi libertatem expressa prædefinitione actuum liberorum, supposità Scientiã Mediã, ut infrà videbimus; & aliunde connaturalius est, quando nullum datur inconveniens, quod operans propter finem prius intendat, ut Deus intendit, medium propinquius ipsi; nam sicut hoc pendet à fine, ita etiam ab eo pendet medium remotius in ordine intentionis; cum autem in ordine executionis medium remotius sit connaturaliter prius; in ordine intentionis est etiam connaturaliter posterius.

Respondeo secundò data majori, & minori, negando consequentiam; ex illis enim solum sequitur prius esse eligenda auxilia efficacia, quàm actus liberos propter illam specialem rationem, nempe quod offenderetur libertas: at verò cum in alitis mediis non militet ipsa ratio, neque detur illud inconveniens, idè in illis dicendum est prius esse eligenda media propinquiora, quàm remotiora ob supra dictam dependentiam.

Difficultas 3. Utrum electio illa mediorum fuerit in particulari, certa, & determinata, non autem in confuso, indeterminatè, ac disjunctivè? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 5. D. Greg. Magn. lib. 12. Moral. cap. 1. D. Aug. D. Fulgent. Concil. Valent. cap. 3. quos citat, & sequitur P. Vafq. hic d. 87. cap. 1. n. 8. & d. 99. cap. 5. n. 33. Probatur primò, quia Deo tribuendus est perfectior modus operandi; sed modus operandi circa singula media in particulari certè, ac determinatè est perfectior, quàm modus operandi circa aliqua in confuso, indeterminatè, ac disjunctivè, nempe dicens, si hoc medium non habuerit effectum, eligam aliud, aut aliud, si hoc effectum non habuerit; sic enim solum operatur, qui ignorat cuiusnam efficaciam sit primum medium, quàm ignorantiam non debemus Deo tribuere; ergo neque illi tribuendus est talis modus operandi.

Probatur secundò, quia Deus ita voluit operari ab æterno, ut operatur in tempore; alioqui haberet in tempore novam voluntatem, quam non habuisset ab æterno; consequenterque mutaretur; sed Deus in tempore vult dare media in particulari certa, & determinata; ergo sic ea intendit, & voluit ab æterno; alioqui aliter intenderet, & aliter exequeretur. Confirmatur, quia electio mediorum ita sequitur ex efficaci intentione finis, ut affectio ipsius finis sit omninò infallibilis; aliter non esset efficaciter intentus; sed non sic infallibiliter assequeretur, si electio mediorum solum esset in confuso, vaga, & indeterminata; siquidem, cum unum, sicut & alia media frustrari possent, solum haberet certitudinem ex multitudine, & quasi vicissitudine mediorum, sicque merè contingenter assequeretur; ergo &c.

Oppones 1. D. Thom. q. 6. de Verit. art. 3. indicat, certitudinem prædestinationis consistere in eo, quod Deus præparet tot media, ut prædestinatus, aut non cadat, aut si ceciderit, resurgat; ergo non ci præparat certum, & determinatum medium, sed unum,

unum, aut alterum indeterminatè, quousque tandem aliquod habeat effectum. Respondeo cum *P. Soar. cit. D. Thom.* non asserere, quod Deus elegerit media in confuso, & indeterminatè, sed tantum quod pro servanda nostra libertate, aliavè ob motiva, quæ Deus ipse scit, elegerit prædestinationis media inefficacia, & in eorum defectu eis præparaverit alia etiam inefficacia, ac tandem efficacia, omnia tamen in particulari, certa, ac determinata, cognoscendo omnem eorum effectum, nè dicamus casu, & fortuito operari.

640. Oppones 2. Si Deus nobis elegerit medium certum, ac determinatum, impediret nostram libertatem, cum non possemus aliud, nisi hoc eligere; sed hoc implicat; ergo &c. Respondeo negando majorem: talis enim electio fieret, aut ante, aut post prævisum nostrum consensum absolutum: si ante, salvatur libertas propter Scientiam Mediam, quam supponit, & præparationem concursus indifferentis: si post, nullum est inconveniens, quod aliquo modo offendant libertas; siquidem hujusmodi necessitas est tantum subsequens, quæ non tollit libertatem antecedentem. De hoc tamen infra.

## SECTIO XXX.

## Virum Deus media Prædestinationis prædefiniverit, &amp; qualia?

641.



DVERTES prædefinitionem, de qua hic sermo est, accipiendam esse per modum intentionis, sive actus efficaciter intendentis suum effectum, non autem per modum alicujus qualitatis physice prædeterminantis; siquidem hæc impediret, & omnino tolleretur libertatem creatam, ut jam alibi diximus in *Philosophia tom. 2. tract. 2. d. 5. à n. 129* & fortasse alio in loco dicemus. Undè prædefinitio, de qua in præsentibus, importat decretum Dei liberum, per quod ab æterno statuit efficaciter, ut aliquid extra se ipsum fieret in tempore. Particula præ dicit antecedentiam, non solum illam, quæ esse futurum antecedit ab æterno existentiam temporaneam, sed etiam illam, quæ res antecedit suum esse futurum absolutum, & ejus præscientiam divinam absolutam in æternitate; sicque in præsentibus inquirimus, An Deus decreverit media necessaria ad salutem, antequam eorum esse futurum absolutum videret, & ipsa illud haberent? Cum tamen hujusmodi media, prout supra diximus, alia à solo Deo, & alia à Deo simul & à nobis dependeant, quid à nobis tenendum, duabus sequentibus conclusionibus resolvemus: Sit igitur:

642. Conclusio 1. Utrum Deus ab æterno prædefinierit efficaciter media illa prædestinationis, quæ ab eo solo dependent, & fiunt? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 3. P. Arriaga de prædest. d. 32. sect. 3. n. 25.* Probatur, quia hæc media non dependent, ut supponimus, neque à merito, neque à dispositione nostra, sed totaliter à solo Deo; ergo poterit ille sine ulla repugnantia quando, & quomodo voluerit prædefinire; ac proinde ab æterno ante eorum esse absolutum, & nostrum liberum arbitrium. Confirmatur, quia cum hujusmodi media sint effectus Dei ad extra, debuit Deus ab æterno ad illos se determinare; alioqui maneret circa illos suspensus, & indeterminatus, dareturque in Deo suspensio actus; sed Deus non se

determinat, nisi per voluntatem efficacem, quæ cum antecedit esse absolutum rei, non potest non esse ejus prædefinitio; ergo &c.

643. Adverte de his mediis, quæ à solo Deo pendunt nullam esse difficultatem, ut ait *P. Soar. cit. sed totam versari circa media, quæ pendunt à nostro libero arbitrio, quales sunt ordinariò actus liberi boni, qui cum sint in duplici differentia; alii enim sunt ita boni, ut sint omnino independentes à peccato; alii verò ita sunt boni, ut illud essentialiter supponant, de primis in præsentibus, de aliis autem in sequenti sectione dicendum: Sit igitur.*

644. Conclusio 2. Utrum Deus prædefinierit actus bonos liberos independentes à peccato antecedenter ad nostrum consensum liberum absolute prævisum, & ante eorum esse absolutum? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 10.* ubi citat *D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. & lib. de bono persever. cap. 9. & D. Thom. 1. p. 1. q. 23. & 1. 2. tenent etiam P. Amicus de prædest. d. 14. sect. 5. n. 150. P. Arrub. P. Tanner. & alii.* Probatur primò ex illo ad *Ephes. 2. 10* ubi: *Creati in Christo JESU in operibus bonis, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Ad quæ verba *D. Aug. lib. de prædest. sanctor. cap. 10.* Quod ait *Apostolus*, inquit, *Creati in Christo JESU in operibus bonis, gratia est; quod autem sequitur; quæ preparavit Deus, ut in eis ambulemus, prædestinatio est.* Et *D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. Bona opera nostra*, ait, *Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita. Et infra: Sicut præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, quæ bonum velimus; sic etiam bona opera preparavit Deus, ut in eis ambulemus.* Et *D. Prosper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 35. aliàs 10. Deus, ait his, quos eligit sine meritis, dat unde ornentur & meritis.* Idem habet *D. Thom. ad eadem verba Apostoli, ex quibus, & Sanctorum Patrum expositionibus adductis satis constat, Deum electis prædefinire, (quod idem est ac præparare,) actus bonos supernaturales non supponentes peccatum antecedenter ad eorum consensum liberum, & ipsorum actuum esse absolute prævisum; ergo &c.*

645. Probatur secundò rationibus: Prima, quia talis prædefinitio est valde consentanea perfectioni Providentiæ Divinæ, & amoris speciali, quo Deus prosequitur suos electos, & aliundè non lædit eorum libertatem, ut patet ex dictis de electione efficaci ad gloriam ante eorum merita absolute prævisa; ergo admittenda est in Deo. Confirmatur, quia ut se habuit Voluntas Divina ad nostram salutem, ita se habuit ad media requisita ad illam; nam ubi nulla reperitur repugnantia, proportionari debent voluntas finis, & voluntas mediorum; sed Voluntas Divina prædefinivit nostram salutem ante nostram liberam determinationem, & ejus esse absolutum prævisum; ergo sic etiam prædefinivit media omnia ad illam requisita; cum in hoc nulla appareat manifesta repugnantia.

646. Secunda, quia Deus, ut constat ex conclusione proximè apposta, & ipsi Adversarii concedunt, prædefinivit nobis auxilia congrua; sed de lege ordinaria non potuit sic prædefinire, quin etiam prædefiniret bona opera; siquidem hæc habent rationem finis, & illa habent rationem mediorum; prius autem intenditur finis, quam medium, quod cum in executione sit prius, debet esse in intentione posterius; ergo etiam illa prædefinivit. Confirmatur, quia ut supra diximus, qui intendit efficaciter aliquem finem, prius intendit medium propinquius ipsi fini, quam remotius; sed Deus ut finem intendit electis efficaciter salutem, cui sunt

sunt propinquiora media actus liberi meritorii, alii enim, quibus Deus solus eos excitat, sunt media remotiora; ergo prius illos intendit efficaciter; sed talis intentio efficax est eorum prædefinitio; ergo &c.

647. Tertia, quia Deus aliquando nobis promittit nostros actus bonos, ut patet ex illo Ezech. 36. 27. ibi: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*; sed qui aliquid promittit efficaciter, habet voluntatem antecedentem dandi illud, quod promittit; promissio enim antecedit rem promissam; siquidem non ideò promittitur, quia res fiet, sed ideò res fiet, quia promittitur; ergo Deus habuit voluntatem antecedentem, seu intendentem ipsos actus; consequenterque eos prædefinit, idque ante eorum consensum, & esse absolutum.
648. Dixi ante eorum consensum, & esse absolutum, quia debuit præcedere eorum esse conditionatum, & eorum scientia Conditionata; alioqui tolleretur libertas, ut bene P. Amicus cit. & alii notant, exceptis Thomistis. Patet, quia cum prædefinitio divina sit infallibilis, si antecedit omnem prævisionem actus, non relinquet causam proximam indifferentem ad operandum, sed necessariò illam determinabit, & compellet ad operationem, ita ut consensus maneat infallibilis solum ex parte ipsius prædefinitiois, & nullo modo ex parte voluntatis creatæ, ut fit quando præcedit esse conditionatum, & ejus scientia Conditionata, & est necessarium, ut salvetur libertas in operando juxta ea, quæ supra diximus de electione efficaci ad gloriam ante prævisa merita in esse absoluto, prævisa tamen in suo esse conditionato, & supposita eorum scientiâ Conditionatâ.
649. Oppositum tenent P. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 7. à n. 41. P. Alarcon. de prædest. d. 1. cap. 6. num. 6. P. Martinon. de prædest. d. 19. in Appendice n. 74. P. Herice tract. 1. d. 7. cap. 5. n. 28. P. Less. P. Molin. & alii: pro quibus: Objicies 1. Ex illo Ecclesiastici 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*; sed non ita relinqueret, si ejus actus prædefiniret; ergo &c. Respondeo negando minorem; adhuc enim homo, positâ prædefinitione, manet liber ad illos actus efficiendos, aut non efficiendos, cum illa prædefinitio supponat Scientiam Mediam, & non influat, nisi per media, quæ libertatem non impediunt.
650. Objicies 2. D. Damascen. lib. 2. de Fide cap. 30. dicit (& idem docent alii Patres), Deum omnia præscire, sed non omnia prædefinire; præscit enim omnia, quæ sunt in nostra potestate, & arbitrio, & ea non prædefinit; ergo &c. Respondeo D. Damascen. & alios Patres loqui de prædefinitione determinante per qualitatem physicam: aut de prædefinitione absolutissima independentem omninò à Scientiâ Mediâ, & auferente decretum conditionatum concurrendi, si voluntas creata se determinarit, & ponente aliud decretum absolutum dicens, velit, nolit voluntas operabitur: non autem loqui de prædefinitione, de qua hic est sermo, & non tollit libertatem, sicut illæ tollent.
651. Objicies 3. Illa prædefinitio induceret necessitatem antecedentem; necessitatem, quia non posset non adimpleri; antecedentem, quia antecederet determinationem voluntatis; sed necessitas antecedens tollit libertatem; ergo &c. Respondeo negando majorem; ut enim induceret necessitatem illam, quæ tolleret libertatem, debebat antecedere omnem consensum, & nullo modo ei accommodari; non autem sic antecedit, cum supponat

consensum conditionatum, & ei accommodatur; ac proinde solum inducit necessitatem aliquo modo consequentem, quam potius appellamus infallibilitatem, cum non sit omninò antecedens, utpotè supponens consensum conditionatum; neque sit omninò consequens, utpotè quæ non supponit consensum absolutum. Patet in auxilio efficaci à Deo dato, ut efficaci, quod non potest non habere effectum; & tamen licet antecedit consensum absolutum, non inducit necessitatem omninò antecedentem, quia supponit esse conditionatum, & Scientiam Mediâ, eique accommodatur propter quam inducit necessitatem aliquo modo consequentem, quam potius appellamus infallibilitatem.

Inferes: Ergo cum illa prædefinitio accommodetur libertati creatæ, non erit omninò efficax, poteritque frustrari. Respondeo non esse efficacem immediatè, sed tantum mediatè, id est, mediis auxiliis, per quæ influit; siquidem per illam dicit Deus, volo efficaciter contritionem v.g. per tale auxilium, ut video per Scientiam Conditionatam, voluntatem creatam velle illam, quæ cum per tale auxilium velit liberè talem contritionem, etiam eam vult Deus ut liberam; sicque mirum non est, quod habeat præparatum concurrentem ad oppositum; alioqui non esset velle efficaciter contritionem ut liberam.

Objicies 4. Illa prædefinitio non est necessaria ad Providentiâ Divinam: tum quia sine illa Deus Providentiâ suâ ordinat actus peccaminosos ad ostendendam suam justitiam, & manifestandum specialem amorem erga electos; neque enim Deus voluntate absolutâ, sed tantum conditionatâ concurrat ad peccata, illaque permittit, & non prædefinit: tum etiam quia ad ipsam perfectam Providentiâ sufficit, si Deus velit ipsos actus in causa, licet non immediatè in se, & habeat voluntatem generalem, ac conditionatam concurrendi, si voluntas creata voluerit, cujus subordinatio optimè salvatur in eo, quod operari non possit, quia Deus simul concurrat; ergo admittenda non est talis prædefinitio.

Respondeo hujusmodi prædefinitioem non esse quidem absolutè necessariam; esse tamen necessariam de lege ordinaria, & ex quadam congruentia, ut bene probant rationes supra positæ. Neque ex actibus peccaminosis bene arguitur ad actus bonos; nam sicut Deus dat specialia auxilia ad bonos, qui propterea specialiter tribuuntur Deo, & non sic dat ad peccaminosos, quos tantum permittit; ita etiam congruum fuit, quod illos, non tamen istos prædefiniret. Deinde negari non potest, Deum majorem habuisse Providentiâ erga electos in ipsa prædefinitione, quam si solum haberet illam voluntatem generalem, & ex illa majorem argui subordinatorem in causis creatis; ergo de factò non est Deo deneganda.

Objicies 5. Si Deus ex se prædefiniret nostra bona opera, sequeretur primò, quod non essent, neque tam pauca, neque tam imperfecta, neque tam remissa: Secundò, quod viri Sancti meritò possent de Deo queri, quia majorem non acquirerent perfectionem ex eo, quod non possent excedere prædefinitioem divinam: Tertio, quod Deus cognosceret nostros actus bonos, non quia futuri sunt, sed quia sunt ab eo prædefiniti, quod est contra communem locutionem Sanctorum Patrum; sequela autem sunt falsæ; ergo & illud, ex quo sequuntur.

Respondeo negando primam sequelam, cum enim

enim Deus in ipsa prædefinitione se accommodaverit Scientiæ Mediæ, ne libertas creata offenderetur, solum prædefinivit opera, prout illa vidit postea ab hominibus in tempore elicienda; ideòque tota ipsa operum paucitas, imperfectio, ac remissio potius hominibus, quam Deo debet attribui. Ad secundam dicimus, adhuc nos posse majori cum fervore divinis inspirationibus respondere, & actus perfectiores elicere; siquidem Deus semper habet paratum concursum ad illos, etiam si non ita prædefinivisset, cum prædefinitio non sit absolutè necessaria, ut eos eliciamus, quos si non eliciamus, de nobis ipsis, non autem de Deo queri debemus. Ad tertiam dicimus, eos actus cognosci à Deo, & in se ipsis, & in divina prædefinitione; cum tamen non prædefiniantur, nisi ut cogniti à Scientiâ Mediâ, idèò absolutè dicuntur cognosci, quia futuri sunt, & non è contra, de quo nihil in contrarium loquuntur Sancti Patres.

## SECTIO XXXI.

## Quid de mediis supponentibus essentialiter peccatum?



657. **A**DVERTES primò media supponentia peccatum esse v. g. contritionem, seu pœnitentiam, prout hæc dicit retractationem, & aliquam peccati satisfactionem; pœnam ut pœnam; Redemptionem, sive passionem Christi Domini, quæ sine Judæorum peccato esse non potuit; Martyrum tormenta, quæ connexionem habent cum malitiâ Tyrannorum; actus humilitatis, & propriæ confusionis de peccato commisso; sicque de aliis similibus.

658. **A**DVERTES secundò P. Soar. hic lib. 3. cap. 8. n. 14. & in opuscul. lib. 2. cap. 5. n. 14. existimare hujusmodi media esse in duplici genere: alia enim, inquit, ita supponunt essentialiter peccatum, ut sine illo esse non possint, cujusmodi sunt pœnitentia, Redemptio, pœna ut pœna, & similia, quæ formaliter respiciunt ipsam culpam ut culpam, tanquam suum objectum, & materiam circa quam; & sicut non potest dari actus sine objecto, ita neque illa media sine peccato: alia, quæ non ita dicunt ordinem essentialem ad culpam, quia absolutè poterant sine illa dari, cujusmodi sunt actus humilitatis, & confusionis, Passio Christi Domini, tormenta Martyrum, & similia: Undè concludit non potuisse Deum prædefinire actus prioris generis, potuisse tamen actus secundi generis prædefinire.

659. **N**on placet aliquibus hæc P. Soar. divisio, ac doctrina quatenus asserit, Passionem Christi Domini, Martyrum tormenta, & actum humilitatis solum accidentaliter, & occasionaliter supponere peccatum: talis enim passio, & Martyrum tormenta possunt dupliciter considerari, aut ex parte Judæorum, & Tyrannorum, aut ex parte Christi, & Martyrum: Si primum, dabatur ibi actio externa, & odium Christi ac Fidei, quo ipsa actio externa veluti informabatur, ac reddebatur peccaminosa: Si secundum, dabatur voluntaria tormentorum receptio, & acceptatio, & dolor indè resultans in corporibus, quem acceptabant, non absolutè, sed reduplicativè ut illatum ex illo odio, idèò enim Christus Dominus, & Martyres non solum dolebant de sua passione, sed maximè de peccato, & malitiâ Judæorum, ac Tyrannorum; ergo voluntas illa intrinsecè respiciebat ipsum peccatum,

Tom. 1.

ut suum objectum; consequenterque non minùs essentialiter, quam respicit pœnitentia. Deindè sicut Martyrum tormenta absolutè, & ut passiones sunt, non supponunt essentialiter odium, & peccatum Tyrannorum, illud tamen supponunt, ut sunt tales passiones, nempe Martyrum; ita etiam actus humilitatis, & confusionis, præcisè ut talis est, non supponit essentialiter peccatum; illud tamen supponit reduplicativè, quatenus talis est; nempe ortus à recordatione peccati commissi.

660. **A**VERTES tertio, quæstionem procedere de mediis supponentibus peccatum in re commissum, & non in sola æstimatione; licet enim de hoc possit esse verus actus pœnitentiæ, & ejusdem fortasse rationis cum actu pœnitentiæ elicit de peccato in re commisso; quæstio tamen specialiter procedit de ipsa pœnitentiâ, quæ supponit verum, & reale peccatum, & non solum apparens. His suppositis,

661. **C**onclusio nostra sit: Deus prædefinivit media supponentia essentialiter peccatum ante illius præscientiam absolutam. Ita P. Amicus de prædest. d. 15. sect. 3. n. 137. P. Quiroz de prædest. tract. 4. d. 22. sect. 2. P. Arriaga de prædest. d. 38. sect. 4. n. 41. ubi etiam pro se adducit P. Mol. P. Soar. & P. Granad. & dicit esse sententiam communem inter Thomistas, & Scotistas. Probatur primò, quia quando Deus vult permissionem peccati, (ut velle posse diximus supra, & dicemus infra,) efficaciter intendit aliquod bonum, ad quod illa conducit; siquidem cum talis volitio sit bona, debet habere pro objecto aliquod bonum, qualis non est de se permissio peccati nudè sumpta, sed informata bono illo, ad quod conducit; atqui hoc bonum est pœnitentia, aut humilitas, aut alius similis actus; ergo Deus aliquem eorum prius intendit efficaciter, seu prædefinit, quod est idem; sed tunc adhuc peccatum non habet esse futurum absolutum, neque ut tale prævidetur; siquidem hoc non habet, nisi post ipsam permissionem; ergo pœnitentia, & similes actus sunt à Deo prædefiniti ante præscientiam absolutam ipsius peccati.

662. **P**robatur secundò, (& est totum fundamentum Contrariorum,) idèò Deus non posset prædefinire pœnitentiam, (idèòque de aliis similibus actibus,) quia necessitaretur velle positivè peccatum; sed hoc non sequitur; ergo &c. Probatur minor primò, quia voluntas prædefinens aliquem finem solum includit eam voluntatem mediæ, quæ necessaria est per se ad ponendam existentiam talis finis; sed ad ponendam existentiam pœnitentiæ sufficit ex parte Dei voluntas permissiva peccati, quin sit necessaria voluntas positiva illius, ut patet in omni pœnitentiâ, quæ de facto datur; ergo sola illa, & non hæc includetur in voluntate prædefiniente pœnitentiam.

663. **S**ecundò, quia ut Deus prædefiniat finem, satis est, quod ille de se sit honestus, & honestum habeat medium, per quod acquiratur; sed pœnitentia de se est honestissima, & honestum habet medium, per quod acquiratur, qualis est permissio peccati, hæc enim est honesta: tum quia Deus non tenetur non permittere peccatum: tum etiam, quia non tenetur dare auxilium efficax, quo illud impediatur; positâ autem ipsâ permissione, sufficienter habetur pœnitentia; ergo Deus potest illam prædefinire ante prævilum peccatum in esse absoluto.

664. **T**ertio, idèò prædefinitio pœnitentiæ est volitio positiva peccati, quia habet cum illo necessariam connexionem; sed indè non sequitur; siquidem pœnitentia de peccato præterito habet cum illo connexionem necessariam; & tamen gaudium

K k

de

de tali poenitentia non est gaudium talis peccati; neque qui amat talem poenitentiam, amat præteritionem talis peccati. Similiter passio Christi Domini, & tormenta Martyrum de facto habuerunt necessariam connexionem cum peccatis Tyrannorum; & tamen Deus potuit velle illa efficaciter, quin vellet positivè ipsa peccata; ergo &c.

665. Quartò, quia dato, quod Deus videat Petrum v. g. peccaturum, si ponatur in tali occasione, & loco, talis occasio, & locus habent connexionem cum tali peccato; & tamen Deus potest prædefinire, & velle efficaciter, imò de facto sic vult ponere Petrum in tali occasione, & loco, quin positivè velit illius peccatum; ergo &c. Quintò, quia cum poenitentia destruat peccatum, qui vult efficaciter poenitentiam, etiam vult efficaciter destructionem peccati; ergo non vult ipsum peccatum; implicat enim velle simul efficaciter rem, & ejus destructionem. Sextò, quia poenitentia non solum destruit peccatum præteritum, sed etiam præservat à futuro; ergo potuit prædefiniri à Deo, non ut destructiva peccati, quod adhuc solum est in esse futuro conditionato, sed tantum ut præservativa ab aliis, quæ possunt esse, quæ prædefinitio ex vi, & intentione sua, neque virtualiter extenderetur ad tale peccatum.

666. Contrarium tenent *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. num. 11. & lib. 3. cap. 8. n. 13. & in opuscul. lib. 3. de Auxil. cap. 17. à n. 8. & lib. 2. de concursu Dei, cap. 5. num. 14. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 2. P. Arriaga. d. 82. cap. 2. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 6. n. 31. P. Tanner. de prædest. d. 3. quæst. 5. dub. 6. num. 28. & alii apud citatos: pro quibus: Argues 1. D. Aug. in psal. 125. sicut & alii Patres putant Deo esse indignum parare medicinam ea voluntate, quæ permittat vulnera, ut curentur; sicut contra rationem est, quod medicus intendat efficaciter medicinam ante morbum, & hunc permittat, ut illam postea adhibeat; ergo neque Deus sic poterit velle efficaciter poenitentiam, quæ est medicina peccati, & hoc permittere, ut illam postea adhibeat.*

667. Respondeo cum *P. Arriaga cit. n. 38. D. Aug. & Sanctos Patres ad plurimum intelligendos esse de medicina, quæ nullum alium habet finem, sive effectum, nisi sanare; non tamen de illis, quæ ulterius præservant à gravioribus morbis, quarum una est poenitentia, & sic prudenter amari potest, non tantum præcisè quatenus sanat, sed præcisè quatenus præservat, ad quod etiam permitti potest minor morbus, sine quo ipsa medicina, ut à majoribus præservet, applicari non potest, quo modo poenitentia est à Deo volita, & prædefinita, propter quam permittit saltem minus peccatum. Neque dicas indè sequi, Deum plus amare poenitentiam, quam carentiam peccati. Non, inquam, hoc dicas, totum enim admittimus, nam Deus de facto sæpius videt evitandum esse peccatum, si dederit tale auxilium efficace, & committendum, si neget; ponendam tamen postea poenitentiam; & tamen adhuc negat tale auxilium, ut habeatur postea poenitentia, in quo plus amat ipsam poenitentiam, quam carentiam peccati, aliter daret auxilium, ut hæc, & non illa sequeretur.*

668. Argues 2. Qui intendit efficaciter finem, necessariò intendit medium unicum ad illum assequendum; neque enim finis sic intenditur, nisi ut acquiratur, non autem potest acquiri, nisi per illud medium, cum sit unicum; sed peccatum est medium unicum ad poenitentiam; hæc enim sine illo dari non potest; ergo si Deus efficaciter intendere poenitentiam ante prævisionem absolutam pec-

cati, necessariò intenderet etiam ipsum peccatum, quod non est admitendum.

Respondeo distinguendo majorem: necessariò intendit medium unicum, si videat, non posse ipsum finem assequi, quin tale medium intendatur formaliter, aut virtualiter; concedo majorem: si videat posse assequi, posità tantum ejus permissione; nego majorem: tunc enim intendens finem, neque formaliter, neque virtualiter, sed solum permittivè intendit tale medium, sicque sola ipsius mediæ permissio virtualis continetur in illa efficaci intentione finis, ex qua solum obligatur ad volitiones necessarias ad assecutionem finis infallibiliter, ad quam cum sola sit necessaria volitio permissiva peccati, solum illam habet Deus ex intentione efficaci poenitentia. Patet à simili, quia non magis requiritur peccatum futurum ad poenitentiam futuram, quam peccatum præteritum ad poenitentiam præsentem; sed potest hanc amare, & approbare, quin amet, & approbet peccatum præteritum; ergo etiam poterit sic amare, & approbare illam, quin amet, & approbet peccatum futurum; aliter assignent de hoc diversam rationem.

Instabis: Quando poenitentia amatur, prævisio jam peccato in esse absoluto, ut prævidetur peccatum præteritum, amatur ut destructiva ipsius peccati; sicque non amatur, imò odio habetur ipsum peccatum: quando autem amatur ante prævisionem peccatum, ut non prævidetur peccatum futurum, amatur ut inductiva ipsius peccati, sine quo esse non poterit; ergo hoc, & non illo modo amari à Deo implicat; consequenterque assignata ratio nulla est. Respondeo negando secundam partem antecedentis; nam idem amor poenitentia præsentis non est approbativus peccati præteriti, quia illud supponit ab homine jam commissum ex propria malitia independenter à tali amore; sed etiam amor poenitentia futura supponit peccatum ab homine committendum ex propria malitia independenter à tali amore; siquidem ante illum vidit Deus peccatum conditionatè futurum, & in re posse esse sine tali amore; ergo talis amor non ponit ipsum peccatum; illas enim causas, quas res habet in statu conditionato, habet etiam in absoluto, & cum talis amor non sit prævisus ut causa peccati in statu conditionato, neque talis erit in absoluto.

Argues 3. Deus in ea prædefinitione poenitentia necessariò intenderet permissionem peccati, & auxilium inefficax, quatenus habent utilitatem ad ipsam poenitentiam elicendam; siquidem illa eligeret, ut inserviunt ad habendam poenitentiam; solum autem ita inserviunt, prout habent eam utilitatem; sed Deus non poterat illa eligere, prout eam habent utilitatem; siquidem cum hanc sumant à peccato, & prout cum illo conjunguntur, amando Deus ipsam utilitatem, consequenter amaret ipsum peccatum, quod implicat; ergo &c.

Respondeo negando majorem, nam intendens finem ex illius prædefinitione solum obligatur eligere medium, quatenus per illud ipse finis acquiri potest; cum autem poenitentia haberi possit, posità tantum permissione, & dato auxilio inefficaci, licet non amentur formaliter secundum eam utilitatem, quam habent ad talem finem reduplicativè, idèò dicendum est, Deum non obligari ad eligendam ipsam permissionem, & illud auxilium reduplicativè sub tali motivo, nempe quatenus habent talem utilitatem. Accedit, quod Deus potuisset eligere permissionem, non ut utilem ad peccatum, sed ut utilem

Iam ad pœnitentiã, cum hæc utilitas sit proxima, illa verò remota, ideòque hæc, & non illa debet intendi ut motivum formaliter, licet illa debeat supponi ut conditio sine qua non eligeret Deus tale medium ad pœnitentiã.

673. Argues 4. Implicat quod quis intendat efficaciter finem, & habeat displicentiam de positione medii necessarij ad illam assequendũ, & quod illud prohibeat, cum potius ipsa intentio moveat ad positionem, & gaudium talis medij; sed Deus non potest non habere displicentiam de peccato, & illud prohibere, cum tamen sit medium necessarium ad pœnitentiã eliciendam; ergo non potest Deus hanc efficaciter intendere, & prædefinire.

674. Respondeo negando majorem, si fermo sit de displicentia inefficaci: Primò, quia mercator, ut salvetur, amat efficaciter projectionem mercium in mare; & tamen hæc ei displicet inefficaciter: Secundò, quia Deo inefficaciter displicet pœna dānatorum; & tamen eam vult efficaciter; ergo à fortiori poterit amare pœnitentiã efficaciter, & ei displicere peccatum. Tertio, quia hic & nunc ei displicet pœnitentiã inefficaciter; siquidem quantum est ex se potius vellet, quod homini non esset necessaria; cum tamen videat illum dispositum ad committendum postea peccatum grave, nisi confundatur, & humilietur per pœnitentiã de aliquo peccato leviori factam, ideò quasi coactus ad evitandum majus malum, permittit minus, & decernit pœnitentiã, eamque vult efficaciter, quia videt utilem ad talem finem, ad quem peccatum permittit.

675. Argues 5. Qui intendit efficaciter finem continentem virtute aliquem effectum, etiam necessariò intendit, saltem virtute ipsum effectum; ergo etiam qui intendit efficaciter aliquem finem, intendit etiam unicum medium illius, illudque amat, saltem virtute. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia posita causã physicã necessariã, necessariò sequitur ejus effectus, sic enim posito Sole, necessariò sequitur lux, quin interveniat operatio aliqua intentionalis, ideòque qui amat talem causam, censetur amare etiam necessariò, saltem virtute talem effectum: at verò posita intentione efficaci finis, non sequitur medium necessariò, sed interveniente operatione voluntatis, debet enim hæc illud eligere, & applicare, ideòque ex tali intentione solum sequitur necessariò ea voluntatis operatio circa medium, quæ necessaria est ad finem consequendum; cum autem necessarius non sit amor etiam virtualis ipsius medij, sive peccati ad ponendam pœnitentiã, sed sufficiat ejus permissio, ideò hæc tantum continetur virtute in ipsa intentione efficaci pœnitentiã.

676. Argues 6. Non potest dari pœnitentiã actualis sine peccato præterito; ergo neque pœnitentiã futura sine peccato futuro; sed posita prædeterminatione efficaci, jam pœnitentiã manet futura; ergo etiam peccatum manebit futurum; sicque per eam prædeterminationem transivit de statu conditionato in absolutum, & Deus saltem virtute illud in ipsa prædeterminatione voluit ac prædefiniit. Respondeo distinguendo primum consequens; neque pœnitentiã futura sine peccato futuro, si sit absoluta in se quoad exercitium, concedo consequentiam; neque enim exerceri potest pœnitentiã futura sine peccato futuro: si sit futura solum in causã, id est ex divina intentione; nego consequentiam: tunc autem adhuc non esset futura in se quoad exercitium, cum talis non sit ante determinationem liberam voluntatis, quæ adhuc non daretur, sed talis esset in Deo, qui prævisio peccato conditionatè futuro,

Tom. I.

potuit ei præparare remediũ, quin talis præparatio sit causã illius, etiam virtualis, sed sola permissio.

Instabis: Si prædeterminatio pœnitentiã esset virtualis permissio peccati, sequeretur, Deum intendere simul existentiam, & non existentiam ipsius peccati: existentiam, quia eam involvit permissio, quæ posita peccatum manet futurum: non existentiam, quia eam destruit pœnitentiã prædefinita; sed hæc implicat; ergo &c. Respondeo Deum non intendere peccati existentiam, nisi permissivè, idque in diverso tempore, intendit enim permittere in hoc instanti, & auferre illud in instanti sequenti per pœnitentiã, quod non implicat: sicut non implicat, quod prævisio jam peccato in esse absoluto, prædefiniat pœnitentiã, & tunc dentur simul existentia peccati in esse absoluto, & ejus non existentia in prædeterminatione ipsius pœnitentiã, cum sint in diverso tempore, nempe existentia peccati in exercitio tempore antecedenti, & ejus non existentia in pœnitentiã posita in exercitio tempore subsequenti, sicque futurã in diverso tempore.

678. Argues 7. Deus non potest prædefinire pœnam ut pœnã ante prævisum peccatum in esse absoluto; ergo neque pœnitentiã ante prævisionem absolutam ipsius peccati. Respondeo dato antecedente, de quo jam supra, negando consequentiam; diversa ratio est, non in eo, quod volitio pœnã ut pœnã sit volitio peccati, cum Deus de facto, prævisio peccato in esse absoluto, velit efficaciter pœnam ut pœnam, quin habeat complacentiam, imò displicentiam de ipso peccato, sed quia cum pœna ut pœna sit supplicium, maximè dedecet Bonitatem ac Misericordiam Divinã parare illam ante prævisionem absolutam peccati; & deinde non bene ostenditur Justitiã Divinã, cum adhuc non detur materia, ideòque D. Damascenus, & alij Patres dicunt pœnam pertinere ad voluntatem consequentem peccatum prævisum: at verò pœnitentiã, cum sit remediũ, maximè decet & commendat Bonitatem, ac Misericordiam Divinã, si illud præparet etiam ante prævisum vulnus in esse absoluto.

679. Argues 8. Deus intendens efficaciter gloriam, saltem virtute intendit etiam merita, quia sunt necessaria ad illam consequendam; sed etiam peccatum est necessarium ad pœnitentiã consequendam; ergo Deus hanc efficaciter intendens, etiam illud, saltem virtute intendit; sed hoc implicat; ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo peccatum esse necessarium ad pœnitentiã permissivè tantum ex parte Dei, & volitum positivè ex parte hominis: at verò merita sunt necessaria ad gloriam volita positivè, & ex parte Dei, & ex parte hominis. Et ratio diversitatis est, quia merita, cum sint bona, & honesta, bene potest Deus, & vult in illa tendere voluntate directã, & positivã: at verò peccatum, cum sit malum, & alioqui ad pœnitentiã consequendam non sit necessaria volitio positivã illius, sicut meritum ad gloriam consequendam, quam Deus intendit dare per merita, sed satis sit volitio permissivã, ideò est incapax volitionis divinã positivã, etiam virtualis. Accedit, quod merita, cum possint informari bonitate gloriã, & non ita peccatum bonitate pœnitentiã, cum sit incapax de se recipiendi quamlibet bonitatem, etiam extrinsecam finis, ideò Deus potest illa, non tamen hoc amare positivè saltem virtute.

680. Instabis: ex præmissis necessariis sequitur necessariò conclusio formalis intrinsicè respiciens, saltem virtute objectum præmissarum; ergo etiam ex

K k 2

inter-

intentione efficaci poenitentiae sequetur necessariò formalis electio medii, sive peccati intrinsicè respiciens, saltem virtute bonitatem ipsius poenitentiae. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia conclusio cum sit actus intellectus necessariò operantis, impediri non potest; sed necessariò sequitur ad positionem praemissarum: at verò electio cum sit actus voluntatis, quae est potentia libera, potest ab illa procedere solum, prout est necessaria ad finem consequendum; cum autem sit necessaria per solam permissionem peccati, idè non necessitatur voluntas ad ponendam ejus volitionem formalem, & positivam.

### SECTIO XXXII.

*Vtrum Deus potuerit praedestinare actus praeos quoad materialitatem, ut media praedestinationis?*

681.



ADVERTES primò, hujusmodi actus potuisse considerari ut media praedestinationis, si Deus praedestinaret alicujus materialitatem permittendo ejus malitiam, ut postea evitaret alios in malitia graviores; sicut diximus praedestinasse poenitentiam, & alios actus bonos, permittendo peccata leviora, ut postea evitaret alia longè graviora, & tandem praestaret gratiam finalem.

682.

ADVERTES secundò, peccatum posse dupliciter accipi: primò pro materialitate, qualis est ipsamet entitas actus: secundò pro formalitate, qualis est malitia ipsius actus, sive hæc sit aliquid positivum, sive negativum, de quo suo in loco, cum egerimus de peccatis. Deinde ipsa materialitas peccati adhuc dupliciter accipitur: Primò specificativè, quando scilicet sumitur entitas ipsius actus physice, & secundùm se, aut si in genere moris, solum ut ejus individuum genericum abstrahendo à bonitate, & malitià, quæ sunt rationes specificæ talis generis: Secundò reduplicativè, & formaliter, quando scilicet ipsa entitas sumitur ut hæc, & nunc subje&ta malitiæ, sive ut habens malitiam sibi connexam, illamque dicens de connotato.

683.

ADVERTES tertio, quaestionem non procedere de actibus pravis formaliter sumptis, nullus enim Catholicus dubitat, Deum non potuisse hujusmodi actus prout sic praedestinare: tum quia Deus non potest praedestinare peccata: tum quia si non potest hujusmodi actus etiam materialiter sumptos praedestinare, ut infra dicemus; à fortiori non poterit eos formaliter sumptos praedestinare.

684.

ADVERTES quarto, Deum non posse etiam praedestinare actus praeos quoad materialitatem sumptam reduplicativè, nempe prout hæc subiacet formalitati ipsius peccati, & eam dicit de connotato, ut est etiam indubitatum. Probatur primò, quia tunc etiam vellet saltem indire&te, & de connotato ipsam malitiam, cum hæc ab illo sic dicatur; Deus autem non potest neque prout sic velle malitiam peccati, ut patebit ex dicendis; ergo &c. Secundò, quia Deus non potest velle, & amare, quod prohibet; sed prohibet volitionem etiam indire&ctam malitiæ peccati; ergo non potest illam amare, & à fortiori neque in se habere per ejus praedestinationem. Advertes quinto, difficultatem solum procedere de actibus pravis

quoad materialitatem specificativè, & materialiter sumptam. Hoc posito.

Verior sententia, quam sequimur, asserit Deum non praedestinasse tales actus praeos etiam sic materialiter, & specificativè acceptos. Ita P. Soar. in opuscul. lib. 2. cap. 4. à num. 2. P. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. d. 18. memb. 3. P. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 4. n. 20. P. Ruiz de voluntate Dei, d. 27. & sequentibus, ubi latissimè de hac re P. Prapost. 1. p. q. 22. a. 4. dub. 2. à n. 26. P. Compron. tom. 1. d. 41. sect. 1. n. 8. P. Rhodex. tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 4. §. 3. P. Valent. 1. p. q. 19. punct. 3. P. Quiroz hic d. 24. n. 6. ubi, inquit, sic tenere omnes Doctores nostræ Societatis JESU, & plures alios ex aliis Scholis. Probatur primò autoritate Scripturæ: Exod. 23. *Mendacium fugies, justum non occides, quia averfor impiam, Judith. 5. Deus enim illorum odit iniquitatem. Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Psal. 44. Dillexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Prov. 15. Abominatio est Domino via impii. Sapient. 14. Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus. Ezech. 33. Nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, & vivat. Osee 13. Perditio tua Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Habacuc. 1. Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non potes. Jerem. 19. Repleverunt locum istum sanguine innocentium, & edificaverunt excelsa Baalim. .... que nec praecepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Rom. 9. Sustinuit in multà patientià vasa iræ. Jacob. 1. Deus enim intentator malorum est & sæpè alibi, quæ loca non solum sunt intelligenda de actibus pravis formaliter, sed etiam materialiter sumptis, ut constabit ex dicendis; ergo &c.*

Probatur secundò autoritate Conciliorum ex Araulican. 2. can. 23. ibi: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Et can. 25. ibi: Aliquos ad malum divinà potestate praedestinos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Neque dicant primò ibi sermonem esse de malo pœna; siquidem si de hoc, à fortiori de malo culpæ, cum sit detestabilis, & in illo etiam hoc virtute praedestinitur. Neque dicant secundò, Concilium loqui de malo culpæ formaliter, non verò materialiter sumptæ, hoc enim esse falsum ex dicendis constabit. Deindè ex Concil. Valentin. sub Lothario cap. 3. ibi: *Fatemur praedestinatione ea tantum Deum tenuisse, que ipse vel gratuita sua misericordià, vel iusto iudicio facturus erat: in malis verò ipsorum malitiam praescripsisse, quia ex ipsis est, non praedestinasse, quia ex illo non est. Hinc etiam spectat quod in 5. synod. act. 4. inter blasphemias Theodori refertur, quod dixerit, disposuisse Deum, ut homines peccarent, quia ita eis expediebat.**

Probatur tertio specialiter ex Trid. sess. 6. cap. 10. ibi: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Dei operari, non permittive solum, sed etiam proprie, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minus productio sua, quam vocatio Pauli: anathema sit. Ubi Concil. loquitur etiam de entitate actus pravi, & non de sola ejus malitia formalis: Primò, quia utitur verbo operari, quod si sumatur, ut debet, in proprio sensu solum competit per se entitati physice, & non malitiæ morali; hæc enim non producit proprie & per se, sed tantum per accidens ratione entitatis physice. Secundò, quia Concil. definit contra aliquos hæreticos asserentes, Deum operari peccatum, aut instigando ad illud, aut voluntatem ad illud praedeterminando; illi autem non loque-*

loquebantur de malitia formali; siquidem de hoc erubescerent etiam ipsi hæretici ut ait P. Soar. cit. cap. 2. n. 22. & hoc dicere aut non sunt Calvin. lib. 3. Inst. cap. 23. §. 9. Beza Aphorismo 31. & Zuinglius serm. de Provid. cap. 6. ut ait. P. Vasq. cit. n. 22. ergo de sola entitate actûs pravi, sive de sola volitione mala materiali; sed Deus in hac non ita se habet, sicut in actibus bonis, ut definit Concil. ergo si Deus prædefinit actus bonos, non ita prædefinit actus malos, etiam quoad materialitatem.

688. Probatur quartò ex Sanctis Patribus, D. Leo serm. 16. de Passione ubi tractans illud Act. 4. Convenerunt in civitate ista, &c. Nunquid, ait, iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divine præparationis armavit? Non hoc planè de divinâ justitiâ sentiendum est, quia multum diversum, multumq; contrarium est, id quod in Judæorum malignitate præcognitum, & quod in Christi est Passione dispositum. Et Leo 9. Epist. ad Petr. Antiochen. Credo, ait, prædèstinasse solummodò bona, præcèssisse autem bona, malaq;. Et D. Prosper. ad object. Vincent. art. 10. Detestanda, ait, & abominanda opinio, que Deum cuiusquam male voluntatis, aut male actionis credit auctorem, cuius prædèstinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Idem habet art. 4. & 11. & lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 4. & ad capitul. Gallor. cap. 1. Et D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. Iniquos ad supplicium justè prædèstinavit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædèstinavit, ut futura essent, quia non ipse fecit, ut facerent, & sæpè idem repetit toto hoc libro. Idem probant, & habent D. Gregor. Nyssen. lib. 7. Philosoph. cap. 1. D. Damascen. lib. 2. cap. 29. & 30. & lib. 4. cap. 20. Theodoret. serm. 5. ad Græc. D. Irenæus lib. 4. contr. hæref. cap. 77. D. Cyril. lib. 11. in Joan. 16. Tertul. lib. 2. contr. Marcion. cap. 14. D. August. lib. de Spirit. & liter. cap. 31. & lib. 2. de peccator. merit. cap. 5. & cap. 18. D. Amb. lib. de Parad. cap. 8. & lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. D. Hieron. in Isai. 45. & ad Ephes. 1. D. Greg. Magn. lib. 29. Mor. c. 21. & alii apud Doctores citatos præsertim apud P. Soar. cap. 2. à n. 23. & P. Ruiz à d. 27.

689. Probatur quintò rationibus: Prima, quia impossibile est, quod Deus prædefiniat formale peccati, ut ipsi Adversarii tenentur fateri; sed etiam est impossibile prædefiniere ejus materiale, quin etiam prædefiniat formale; ergo neutrum potest Deus prædefiniere. Probatur minor primò, quia velle materiale peccati nihil aliud est, quàm velle hanc volitionem libero, & humano modo productam, v. g. volitionem, quâ Judas vendidit Christum Dominum libero, & humano modo elicitam; sed illam prout sic velle est velle formale ipsius peccati; siquidem neque Deus amplius vellet, si vellet formale peccati; neque Judas aliquid amplius voluit, quando peccavit; ergo &c. Secundò, quia positâ tali prædefinitione, & seclusâ quacunque voluntate permissivâ, adhuc sequeretur formale peccati; ergo Deus volendo, & prædefiniendo illud materiale, etiam vellet, & prædefiniere formale peccati. Tertio, quia qui vult unum, etiam vult aliud cum illo necessariò connexum, sed malitia formalis est de se necessariò connexa cum illa materialitate peccati sic productâ; ergo Deus hanc prædefiniens, etiam illam necessariò prædefiniere.

690. Secunda, quia si Deus posset prædefiniere eos actus quoad materialitatem, plura sequerentur absurda: Primum, posse eam consilere; siquidem

hoc minùs est, quàm prædefiniere; hoc enim habet infallibilem effectum; non ita verò illud. Secundum, posse etiam infundere habitus pravos; siquidem etiam hoc minùs est; cum homo possit resistere habitibus ipsi; non ita verò prædefinitioni divinæ, neque illâ positâ, malitiæ ipsius peccati. Tertium, dari contrarietatem in Voluntate Divina, quatenùs vult efficaciter entitates ipsas peccatorum illas prædefiniendo, quas tamen prohibet, quatenùs prohibet non solam malitiam formalem, sed etiam omnem occasionem eam involventem; posito autem actu ita producto, necessariò involveretur illa malitia. Quartum, posse hominem licitè, & laudabiliter velle efficaciter illam entitatem actûs, nempe odii Dei; siquidem licitum, & laudabile est conformari Voluntati Divinæ efficaci, qualis est prædefinitio; cum illa sit suprema regula omnis bonitatis, & licitum, ac laudabile sit tali regulæ conformari; sed hujusmodi absurda non sunt admitenda; ergo &c.

Tertia, quia Deus, ut per se notum est, prohibet determinationem Voluntatis ad formale peccati; sed voluntas non se determinat ad hoc, nisi determinando se ad materialitatem actûs; ergo Deus etiam hanc, saltem secundariò prohibet; ergo non potest illam efficaciter prædefiniere. Confirmatur, quia alioqui sicut in prædefinitione actûs boni se obligat ad inchoandum, & procurandum, ut fiat, ita etiam se obligaret in hac prædefinitione materialitatis peccati; sed hoc non est dicendum; neque enim Deus potest inchoare, & procurare, quod prohibet; ergo &c.

Quarta, quia Deus punit non solùm formale, sed etiam materiale peccati, ut patet ex illo Apoc. 18. ibi: Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum; ubi agitur de peccatâ sensûs, quâ punitur voluntatis conversio ad creaturam; sed ita converti spectat ad materiale peccati, licet habeat adjunctum formale, per quod fit aversio à Deo, quæ punitur peccatâ damni; ergo Deus punit materiale peccati; sed non posset ita punire, si illud prædefiniere; alioqui puniret, quod ut fiat, impellit; maximè enim Deus impellit ad id, ad quod determinat, & efficaciter intendit; sicque injustè ageret, ut ait D. Prosper. lib. ad object. Gallor. cap. 12. ibi: Si Deus, ait, hominem sibi obedientem à veritate deturbat, & bene currentem cadere facit; ergo pro nobis mala retribuit, & injustè punit, quod ut fiat impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici, aut excogitari potest? ergo &c.

Oppositum tenent Bannez 1. p. q. 14. art. 13. dub. ult. & q. 19. art. 8. & q. 23. art. 3. dub. 2. Cabezudo 3. p. q. 62. art. 5. tota q. 1. & 2. de Auxil. Zumel. 1. p. q. 14. art. 13. suâ q. 2. conclus. 2. & com. 1. opuscul. d. 5. sect. 1. Trigosus 1. p. sum. D. Bonav. q. 18. art. 4. dub. 3. ad 2. & 3. Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. d. 2. §. 12. à n. 530. Navarrete tom. 2. in 1. p. contr. 25. conclus. 6. & 7. Alvarez d. 24. concl. 2. Ledesma de Auxil. q. 2. art. 18. concl. 3. & communiter Thomistæ: pro quibus: Argues 1. Ex Scriptura constat, quasdam actiones pravas ex consilio; & prædefinitione Dei fuisse factas; siquidem loquendo de venditione Joseph sic ait Gen. 45. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: & ut intelligamus ipsam Dei voluntatem fuisse efficacem, addit: Num Dei possumus resistere voluntati? &c. Et Act. 2. loquendo de Christo Domino: Hunc, ait, desinito consilio, & præscientiâ Dei traditum, &c. Et Act. 4. Convenerunt Herodes, &c. facere, que manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri; sed talis voluntas

luntas Dei antecedens non poterat esse circa malitiam peccati; ergo circa ejus materialitatem quã talem.

694. Respondeo negando majorem, ad primum locum dicimus Deum ibi solum prædefinivisse transitum Joseph in Ægyptum, & ejus ibi exaltationem permittendo tantum venditionem, quam per scientiam mediam prævidebat, & eam ordinando ad ipsam exaltationem, quod inde patet, neque enim dicit *voluntate Dei venditus sum*, sed *huc missus sum*: quod etiam ipse Joseph insinuat Gen. 50. *Vos cogitasti in me mala, sed Deus vertit illud in bonum*. Ad secundum dicimus, verba illa referri ad diversas personas; illa enim *desinito consilio* pertinent ad homines, qui consilium habuerunt, & desinuerunt, ut Christum interficerent; alia verò *prescientiã Dei traditum*, pertinent ad Deum, qui id præsciens permisit. Ad tertium dicimus, solum ibi significari, Deum prædefinivisse mortem, & Passionem Christi in hominum Redemptionem, non tamen quod fierent ab Herode, & Pilato; hoc enim solum permisit: siquidem dicit *manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*; non autem quod tu decrevisi, ut illi facerent, quod est quidem longè diversum.
695. Argues 2. Aliqua sunt Scripturæ loca, in quibus actiones præve videntur Deo attribui, ut 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei*. Et cap. 24. *Commoriturq; David*. Et Psal. 104. *Declinasti semitas nostras à viã tuã*. Alia in quibus Deus dicitur *indurare, & excæcare* corda hominum, ut Exod 7. *Josue* 11. Rom. 9. *Isai. 63. Tradere in reprobum sensum*. Rom. 1. & *Decipere* 3. Reg. 22. & Job. 12. *Convertere ad odium*. Psal. 104. & alia locutiones generales, quæ videntur intelligendæ tam de rectã, quã de obliquã creaturarum actione, ut 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus*. Rom. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia*. Jerem. 10. *Non est in homine via illius*. Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue*; & similia; sed hæc non sunt intelligenda de voluntate Dei circa formale peccati; ergo circa illius materiale.
696. Respondeo primò cum P. Soar. cit. cap. 3. n. 2. hujusmodi testimonia, si aliquid probant, non solum id probare de materiali, sed etiam de formali malitia peccati, imò & de toto peccato; nam si corticem literæ spectemus, aliquando videtur esse sermo formalissimus, ut patet ex illo Psal. 104. *declinasti semitas nostras à viã tuã*; & similibus; sed non debent illa intelligere de formalitate peccati; ergo ita sunt catholicè explicanda, ut nostræ sententiæ non adversentur, & hæreticis favere videantur.
697. Resp. secundò, omnia hæc & similia Scripturæ testimonia intelligenda esse de permissione divinã cum D. Chryl. hom. 36. in Matt. ibi: *Quaquam non ipse, ait, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit, talis quippe est Scripturarum consuetudo*. Et D. Aug. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 23. *Quando auditis, ait, dicentem Dominum: Ego seduxi, & quem vult indurat, in eo, quem seduci, vel obdurari permittit, mala ejus merita credite*. Et D. Damasc. lib. 4. cap. 20. *Scire illud armet, inquit, in Scripturæ more positum esse, ut Dei permissionem, actionem ipsius appellet*. Et ratio est, quia quando ex proprio sensu verborum, & quasi materiali, sequitur aliquod absurdum pietati, & aliis ejusdem Scripturæ locis contrarium, debent talia verba in solo sensu metaphorico accipi; sed ita sequitur, si talia verba sumantur in proprio

sensu, ut patet ex dictis; ergo sumenda sunt tantum metaphoricè, quatenus illud verbum *agendi, seducendi, & indurandi* tribuitur Deo operanti, pro ut operanti idem est, atque permittenti.

Argues 3. D. Aug. lib. 3. *contr. Julian. cap. 3.* videtur docere Deum interdum impellere ad peccatum per potentiam. Et lib. de grat. & liber. arbit. c. 20. videtur docere, Deum voluntatem malã quocunque voluerit inclinare: Item proprio vitio malã in hoc peccatum (scilicet maledictionis) suo iusto iudicio inclinasse. Et cap. 21. Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum; ergo potest Deus ex se peccata, & mala opera, saltem quoad materialitatem prædefinire. Respondeo D. August. locis citatis non velle, quod Deus positive instiget ad mala opera, neque quod ea decernat, & prædefiniat, ut ait *Medina* 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. & P. *Proposit. cit. q. 22. a. 4. dub. 1. num. 24.* sed quod non solum per patientiam tradat hominem suis desiderijs, verum etiam per potentiam ponendo occasiones, nempe divitias, aut flagellationes, ex quibus, cum deberet per patientiam respicere, sumit tamen occasionem ruinæ, quam Deus permittit, ut puniat.

Argues 4. Idem D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Cum audimus, ait, Ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est, illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium: illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum*; ergo juxta D. Aug. Deus prædefinit peccatum, saltem pro materiali. Respondeo negando consequentiam; nam D. Aug. solum voluit, quod Judam elegerit, cum tamen prævideret illum Judæis traditurum, ejusq; proditionem permisit, ex qua redemptio fieret, & nunquam sensit, Deum directè & propriè velle ac inclinare voluntatem ad actum malum, sicut de ipsis Judæis ait tract. 53. in Joan. ibi: *Fecerunt peccatum, quod eos non compulsi facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse præcivit*.

Argues 5. Deus ante omnem præscientiam peccatorum prædefinivit reproborum damnationem ut patet ex illo Rom. 9. ibi: *Cum non dum aliquid boni egissent, aut mali, &c.* Et ex illo ibid. *Aut non habet potestatem figulus facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam*. Et Prov. 16. *Omnia propter serpensum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*; sed talis prædefinitio includit prædefinitionem ipsorum peccatorum, propter quæ Deus postea eos damnabit, ut in eorum damnatione suam virtutem ostendat juxta illud Rom. 9. *Volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multã patientiã vasa iræ apta ad interitum*; ergo &c. Respondeo primò, argumentum, si probat, etiam probare de prædefinitione peccatorum secundum militiam formalem; siquidem solum propter hanc, & non propter entitatem materialem peccati postea damnantur; cum autem de hac non probet, etiam per Adversarios, ideoque neque de illa probat.

Respondeo secundò negando majorem, cuius falsitas constat ex supra adductis definitionibus Concil. Araucan. & Valent. & Sanctorum Patrum: licet enim Deus elegerit ad gloriam esse ante prævisa merita, ut diximus, ad ostendam suam misericordiam, Bonitatem, & Liberalitatem infinitam; non ita ordinavit ad penas, nisi provocatus à demeritis jam prævisis in esse absoluto; quatenus solum prout sic ostendebat suam Justitiã, &

& non ante illa, cum deficeret materia circa quam. Unde loca illa D. Pauli ad plurimum intelligenda sunt de reprobatione negativâ, seu de non electione ad gloriam, quæ facta fuit in eodem signo electionis prædestinatorum ad gloriam, & ante prævisâ malorum demerita, quæ tamen re verâ non fuit dâatio, de qua procedit argumentum, sed potius non electio.

702. Argues 6. Deus potuit prædefinire penitentiam (idemque dicendum de passionibus Christi Domini, & Martyrum, prout supra diximus,) quin prædefiniret, sed solum permitteret peccatum; ergo etiam sic poterit prædefinire entitatem materiale peccati, quin prædefiniret, sed solum permittat ejus malitiam formalem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia positâ prædefinitione penitentiae non obligatur Deus ad volendum peccatum positivè, sed tantum permittivè, prout supra diximus: at verò positâ prædefinitione entitatis materialis peccati, necessitaretur Deus ad volendum positivè, saltem virtute ejus malitiam formalem; siquidem in hac velle virtute nihil aliud est, quam velle in talibus circumstantiis deliberatè ipsam actus entitatem, prout supra diximus.

703. Argues 7. Tantum est in Deo permittere peccatum negando auxilium efficacis, quantum est prædefinire entitatem actus pravi; sicut enim ex hac prædefinitione sequitur infallibiliter peccatum, ita sequitur ex illa negatione auxilii efficacis; sed Deus potest velle efficaciter illud primum; ergo etiam hoc secundum. Respondeo negando majorem: licet enim ex permissione peccati sequatur infallibiliter ipsum peccatum, est tantum ex malitia hominis, & ejus determinatione cognita à Deo per Scientiam Conditionatam, cum adhuc ille posset resistere absolutè loquendo, quatenus Deus ei præbet auxilium sufficiens, & habet præparatum concursum ad oppositum, cum autem homo nolit eis uti, ideo ex malitiâ suâ peccat, sicque Deus prædefinendo permissionem peccati, non ideo ipsum peccatum prædefinit: at verò cum ex prædefinitione entitatis actus pravi sequatur necessariò malitia ipsius peccati sine nova alia determinatione; siquidem ipsa malitia separari non potest ab ipsa entitate sic productâ humano, & libero modo, si Deus illam prædefiniret, etiam hanc prædefiniret, saltem indirectè, & sequeretur ex illius prædefinitione, ei que tribueretur, quod implicat.

704. Argues 8. Hoc materiale peccati est bonum; cum sit ens; bonum autem recurrit cum ente; sed Deus absolutè potest velle omne bonum; ergo etiam hoc materiale peccati. Respondeo ad majorem, esse bonum transcendens, quod recurrit cum ente; non autem honestum simpliciter, ideoque non posse cadere simpliciter in voluntatem Dei absolutam, & efficacem; licet Deus, eo non obstante, adhuc possit velle id, quod in ipso actu potest esse honestum, quale est concurrere ad illum ut Causa Prima, & universalis, si homo causa secunda ad illum se determinaverit, quæ tamen voluntas in Deo est tantum secundum quid, & conditionata.

705. Instabis: Eo ipso, quo Deus vult concursum, sine quo ipse actus esse non potest, censetur velle ipsum actum; & tamen potest velle talem concursum; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim Deus potest velle, quod prohibet, prohibet autem talem actum, licet velit ad illum concurrere ut Causa prima, ad quod habet justissimas causas, nempe, ut causa secunda non sint stupida, sed possint exire in actum: ut non turbetur rerum

ordo, & libertas voluntatis perpetuò impediatur, si concursus à Deo ei denegetur, & mala ejus actio impediatur.

Urgebis: Licet in eo actu non sit sufficiens bonitas honesta, ut possit propter se à Deo prædefiniri, poterit tamen aliundè eam participare, nempe si sit utilis ad alios fines honestos; ergo prout sic poterit à Deo prædefiniri. Respondeo negando consequentiam; nam ex D. Paulo. Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*; ideoque non potest amari medium turpe ad finem honestum, nisi prius exuat ipsam turpitudinem. Neque obstat illud D. Aug. in *Enchirid. cap. 27. Melius putavit Deus ex malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* Nam D. Aug. ibi loquitur de voluntate Dei permissiva, ut patet, non autem de voluntate prædefiniente, positivâ, & efficaci, de qua est sermo.

707. Argues 9. Omne, quod Deus suâ Omnipotentia causat in tempore, prius decernit, ac prædefinit; alioqui ageret in confuso, modo cæco, & præter intentionem; sed Deus omnipotentia suâ causat materialitatem peccati in tempore; siquidem cum hæc sit entitas per participationem, debet in sui productione subjici entis per Essentiam, qualis est Deus; ergo Deus prius eam decrevit, ac prædefiniit. Respondeo distinguendo majorem: prius prædefinit, si causet voluntate positivâ; concedo majorem: si tantum permittivâ; nego majorem: concursus autem Dei simultaneous, quo ejus Omnipotentia causat & concurrat ad materialitatem peccati, pertinet ad solam voluntatem illius permissivam; hæc enim, ut diximus, tria includit, decretum scilicet concurrendi, si voluntas creata se determinaverit, donationem auxilii sufficientis, & negationem efficacis, sicque non arguit prædefinitionem Dei; neque ideo Deus operatur modo confuso, & cæco, aut præter intentionem; cum supponat Scientiam Mediam, per quam Deus videt ipsam hominis determinationem, ad quam intendit concurrere, si ipse homo velit operari.

708. Instabis: Nihil potest fieri, nisi Deus velit; sed materiale peccati fit; ergo Deus vult fieri; consequenterque poterit illud prædefinire. Respondeo primò negando majorem, nam ut aliquid fiat, sufficit ut Deus actum non impediatur, & velit concurrere, & non requiritur, ut velit fieri. Respondeo secundò distinguendo majorem: nisi Deus velit, aut positivè, aut solum permittivè; concedo majorem: semper positivè; nego majorem: Deus autem ad efficientiam peccati solum se habet permittivè.

709. Urgebis: Deus potest prædefinire actiones bonas, ei que tribuuntur; ergo etiam sic ei poterunt tribui malæ, easque poterit prædefinire; siquidem non aliter concurrat Deus ad bonas naturales (de quibus hinc loquimur,) quam ad malas. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem datur diversa ratio, quia cum Deus indiderit voluntati virtutem operandi, ut bene operetur, & ad id suum concursum præparaverit, bene potest ei actio bona tribui, illamque prædefinire: at verò cum non creaverit naturam, ut malè operaretur, neque ad id, sive ad eum finem suum concursum præparaverit, & malam actionem prohibuerit, non potest hæc ei tribui, neque ab eo prædefiniri: sic etiam non potest ei tribui ex eo, quod illam non impediatur, cum possit, quia ad id non tenetur: neque ex eo, quod ad illam concurrat, sicut ad bonam concursu universali, quia actio non sumit

sumit speciem per respectum ad concursum Dei universalem.

710. Replicabis: Illa entitas, quæ est in actu malo, procedit re ipsa per actionem Dei, quæ terminatur ad ipsum actum singularem, prout est à parte rei; siquidem est eadem cum actione causæ secundæ, quæ sic producit ipsum actum; sed ex eo, quod sic procedat à causa secunda, ei tribuitur; ergo etiam sic poterit Deo tribui, & ab eo prædefiniri. Respondeo ex hoc solum sequi, quod Deus velit suum concursum, & id, quod est idem cum influxu creaturæ; non autem quod velit terminum talis influxus, nempe ipsum actum productum.

711. Argues 10. Deus producit materialitatem peccati, quin producat ejus formalitatem; ergo à fortiori poterit liberè prædefinire materialitatem ipsius peccati, quin ejus formalitatem prædefiniat, sed erit præter illius intentionem. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia productio, cum sit influxus physicus, solum entitatem physicam producit, qualis non est formalitas peccati, sed aliquid tantum morale, idèdque non producit: at verò prædefinitio, cum sit actus intentionalis, potest tendere, non solum ad esse physicum, sed etiam ad morale, ut tenderet in hoc eventu, nam cum illud physicum peccati productum cum advertentia, & deliberatione non possit non secum ferre malitiam ipsius peccati, Deus prædefiniendo ipsum physicum peccati, etiam saltem interpretativè, & virtualiter prædefiniat ejus malitiam formalem, quod implicat.

## DISPUTATIO III.

### De Causis Prædestinationis.

#### SECTIO I.

*Virum dentur Causæ aliqua nostra Prædestinationis?*



1. **C**UM causæ prædestinationis possint esse, aut ex parte Dei prædestinantis; aut ex parte ipsius prædestinati; aut ex parte unius hominis iusti respectu alterius; aut ex parte Christi respectu omnium prædestinatorum, de his omnibus hinc specialem Sectionem suo ordine instituemus; in præsentem igitur inquirendum de causis prædestinationis ex parte Dei: Pro quo sit:

2. **D**ifficultas 1. Utrum, & quales sint causæ ex parte Dei ad nostram prædestinationem? Supponendum est primò, causam aut esse physicam, aut moralem: Physica est illa quæ physicè, & per physicum, ac realem influxum influit in effectum, & prout alibi diximus in Philosophia dividitur in formalem, materialem, finalè, & efficientem: Moralitè proprie est illa, quæ non influit physicè in effectum, sed applicat, & inducit moraliter causam liberam ad aliquid agendum, dividiturque in Meritoriam, Satisfactoriam, Impetratoriam, & Dispositivam, Dixi proprie, quia ipsamet causa physica,

si sit libera, propter ipsam libertatem; quàm additè supra causam necessariam, dicitur etiam causa moralis, sed minùs proprie.

Supponendum secundò ex supra dictis, prædestinationem esse actus immanentes in Deo, sicque realiter idem cum ipsa Essentiâ Divinâ, ac proinde secundum suam entitatem, & rationem formalem non habere in Deo ullam causam physicam, neque efficientem, quia in Deo nihil est factum: neque finalem, quia Deus ad nullum finem, nequidem ad se ipsum proprie ordinatur: neque materialem ac subjectivam, quia neque prædestinatio est accidens, neque in Deo ulla est potentia passiva: neque formalem, quia cum prædestinatio sit ipse Deus, & forma non formata, seu actus purissimus, non potest habere aliam causam formalem: habere tamen causam physicam, si sumatur in ordine ad effectus; siquidem cum hi sint entitates creatæ, qualis est gratia, & gloria, proprias habet causas physicas.

Supponendum tertio, solum hinc inquiri de causa morali prædestinationis, & hanc posse considerari, aut in ordine ad actus divinos secundum illud tantum, quod dicunt intrinsecum; aut in ordine ad ipsos actus secundum quod dicunt extrinsecum, sive quoad terminationem; aut in ordine ad effectus, qui ponuntur in prædestinato: Si primo modo, constat est inter Doctores, nullam habere causam, neque moralem; siquidem cum sit entitas increata, imò & ipse Deus, ut diximus, sicque omnibus modis necessaria, excludit omnem causam, à quâ dicat dependentiam; sicque tota difficultas procedit de causa morali secundo & tertio modo considerata.

Supponendum quarto, prædestinationem in ordine ad causam moralem prout sic consideratam sumi posse, aut adæquatè prout includit intentionem finis, & electionem mediorum juxta ea, quæ supra diximus: aut inadæquatè pro sola intentione finis, vel pro sola electione mediorum, imò & pro singulis singulorum mediorum electionibus, comprehendendo etiam primam vocationem, aut eam excludendo.

Supponendum quinto, difficultatem solum procedere de causa morali minùs proprie prædestinationis nostræ; siquidem propria, etiam moralis in Deo esse non potest neque meritoria, neque satisfactoria, neque impetratoria, neque dispositiva. Patet, quia hujusmodi causæ in suo modo causandi aliquam involvunt imperfectionem in persona operante, quatenus hæc debet esse inferior, & subiecta personæ, apud quam meretur, satisfacit, imperat, & disponitur. Unde sermo tantum est de causa motiva, sive de objecto formali, quod est causa minùs propria respectu actuum divinarum, prout terminantur ad extrinsecum. His suppositis.

**Dico 1.** In Deo aliqua fuit ratio specialis motiva præter consilium & libertatem divinam ad eligendum efficaciter ad gloriam aliquas creaturas racionales. Ita *D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. D. Thom. hic q. 23. & cum illis P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 25. n. 2. & 3.* Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 11. ibi: *Prædestinati secundum propositum..... ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Ubi gloriam Dei assignat rationem motivam nostræ prædestinationis; ergo &c.

Probatur secundò ratione, quia Deus semper operatur modo prudentiori; sed modus prudentior operandi est, quod Voluntas Divina ducatur ab aliqua